Milano

Ant.° Ceruti


STATVTA

IVRISDICTIONVM

MEDIOLANI

SAECVLO XIV

LATA



AVGVSTAE TAVRINORVM

M DCCC LXIX

EX TYPIS REGIIS

Milan - Laws, statutes, etc.

STATVTA

IVRISDICTIONVM

MEDIOLANI

SAECVLO XIV

LATA

[Edited by Antonio Ceruti]

AVGVSTAE TAVRINORVM

EX TYPIS REGIIS

M . DCCC . LXIX

ANTONIVS CERVTI

LECTORI BENEVOLO

S.

Post Mediolanensium CONSVETVDINVM promulgationem, quibus prima municipalium scriptarum legum collectio constitit, quamvis re vera certa Statutorum ante eas latorum memoria ac reliquiae supersint (a), nonnullae invectae sunt in civile maiorum nostrorum regimen immutationes, quae ad publicum commodum aut quaerendum aut retinendum aptiores putarentur, et ex recuperata patriae libertate et vitae usu ducerentur. Ex quo illud consequutum est, ut paullatim saeculo XIII cuique civium propria ac arbitraria legum professio, quae diu obtinuerat, abolita fuerit, ipsumque ius romanum municipali cederet magis novis moribus consentaneo, et frequens illa Statutorum silva succreverit saepe

(a) Cf. *Consuetud. Mediol.* cap. XII. *De locat. et conduct.;* Galv. Flammam in *Chron. mai.* cap. DCCCXXI, DCCCXXII, DCCCXCV, Gabriel. Verrium in op. *De orig. et progr. iur. Mediol.* cap. II; Bern. Corium et Trist. Calchum passim.

instaurata, tamquam consueta civilium rerum moderatrix, aevo nobis propiore tandem radicitus succisa, quae inextricabilibus decretorum suffulta surculis in dies succrescentibus, litibusque dirimendis non semel inepta, plus incommodi quam utilitatis in expediendis agendisve negotiis plerumque afferebat. Etenim, ut de Statutis tantum sermo hoc loco sit, saeculo ipso tertiodecimo, imo paucis exactis post praedictarum Consuetudinum collectionem annis, nonnulla nova conscripta sunt iura, nempe a. MCCXXIX et MCCXXXIII, praecipue ad tumultuantium novatorum arrogantiam compescendam, prohibendamque civium emigrationem extra civitatis ius aut ad inimicorum loca, reipublicae praefecturam Bonaccursio Porta brixiensi et Oldrado e Trexeno laudensi agentibus. Rursus in sacra D. Theclae cathedrali aede populi comitia coacta sunt anno MCCXLVII, cum Martinus Turrianus praeesset civibus in urbe primum locum sortitus, ac sequenti, ut novae salubresque leges rogarentur conderenturque, Conrado e Concesio urbis praetore, quas Bern. Corius ac Tristanus Calchus in suis historiis (a) singulatim recensent, meritoque pro temporum illorum necessitate publicae rei atque optimae gubernationis fulcimenta appellant. Nec circa illius saeculi dimidium a legibus adaugendis (b), etiam ad morum

(a) *Histor. di Mil.* ad ann.; *Hist. Patr.*, pag. 303.
(b) Cf. Corium et Trist. Calchum ad ann. MCCLVI et seq.

emendationem publicique aerarii iura tuenda sancitis, intermissum est, quas factiosa animorum excitatio exposcebat; abierat enim populus in discordias studiaque contraria, atque respublica intestinis motibus concussa ac perturbata ex nonnullorum ambitione dominandique libidine miserrime dissolvenda, delendaque prorsus libertas videbatur, donec ad perpetuas simultates sedandas utraque plebis et optimatum pars in publicae rei administrationem simul incubuit, anno nempe MCCLXXII, cum nonnullae civiles poenalesque sanctiones in blasphemos, nefarios ac segetum distractores constitutae sunt, diutius etiam in posterum servatae.

Verum ne lector ex prolixa Statutorum huiusmodi recensione nimio taedio laboret (licet sapientissimas patrum leges ignorare vel posthabere probrosum iniuriosumque sit), ea praetermittam, quae de legibus nostris anno MCCCXXX [a] in generali urbis procerum concilio edictis chronographi tradunt, atque ad emendationem transiliam anno MCCCXLVIII peractam, Luchino Vicecomite civitatis dominante. Compertissimum enim est, tunc indictis populi comitiis decreta esse atque mandata Statuta in posterum servanda; sed perficiendae emendationis voto aut necessitate alia triennali silentio ea princeps pressit, nec illorum textus aliquod nobis vestigium

(a) Cf. Ioh. de Silonis in *Monum. Vicecom.*, pag. 6.

superfuit. Id evidenter patet ex ipso Statutorum prooemio, quae postea anno MCCCLI, Iohanne Vicecomite Luchini praemortui fratre Mediolani archiepiscopo ac domino, noviter correcta lata sunt; sed ne haec quidem recens emendatio a sapientibus viris rerum agendarum peritia claris ac reipublicae gloriam et utilitatem quaerentibus perfecta ad nos usque pervenit, praeter illud prooemium Statutorum collectioni eo anno peractae praemissum, quo edocemur ius illud tanta maturitate dispositum castigatumque, suffragio populi firmatum atque ex antiquis Consuetudinibus profluens octo constitisse partibus sive libris, quorum nomina erant « iurisdictionum, » maleficiorum, civilium, extraordinariorum, vi» ctualium, datiorum, mercatorum Mediolani et » mercatorum lanae »; agebant enim de magistratuum quorumlibet iurisdictionibus officiisque, de iure ac ordine procedendi in criminalibus, de iudicio et processu civili, de rebus rusticis, de nonnullis ad humanum victum pertinentibus, de vectigalibus ac demum de mercatura, praesertim lanae eo tempore florentissima, cum illi quandoque sexaginta civium millia, inter quos universus fere Humiliatorum coetus, operam darent. Denique ea Statuta nova castigatione emendata saeculo XIV exeunte, anno nempe MCCCXCVI, prodierunt, mandato Iohannis Galeatii M. Vicecomitis rerum summa potiti, imperialis primum vicarii, dein Mediolani ducis renunciati;

quibus ita firmitatis sigillo obsignatis civitas nostra semper administrata est, ut ea non cives tantum in publicis privatisque rebus regerent, sed ab externis quoque nationibus appeterentur, ad quae describenda frequentes undique legationes huc ventitarunt.

Codicem Statutorum ita concinnatum, cuius integrum exemplar in Ambrosiana hac Bibliotheca asservatur, non exiguae quidem molis iisdemque octo partibus distinctum, anno MCCCCLXXX praelo magna ex parte excudit Mediolani Paulus Suardus, nihilominus haud facile nunc quaerentibus obvium ex rerum antiquarum oblivione in ius nostrum irrepta; sed ille Iurisdictionum liber senio iam confectus hucusque in librorum thecis abditus ineditusque ignota causa delituit, atque a doctorum hominum memoria pene evanuit. Cum vero leges non in tempus aliquod, sed perpetuae utilitatis causa in aeternum latae sint (a), operae pretium censui libellum hunc cum Statutis Iurisdictionum anno MDII positis similitudinem praeseferentem veterum patriae nostrae institutorum studiosis proponere (quamvis re vera iura exhibeat, quae usus coarguit et mutatus reipublicae status inutilia fecit), historiaeque monumentorum messem augere, quod sane aliqua utilitate non caret. Nam, ut alia omittam, conferenti municipales leges a populis sibi in

(a) Tit. Liv. *Histor.* lib. IV.

suis comitiis constitutas cum iis, quas postea principes, libertate interempta reipublicaeque clavo arrepto, subditis paullatim proferre coeperunt, maximum inter utrasque discrimen patet; illae enim ex civium placito manantes pro ipsorum commodo atque incolumitate condebantur; hae vero, populi universi utilitate nonnunquam posthabita, ad principis suique dominii utilitatem dirigi solebant. Praeterea provisiones praesertim de omnimodis magistratibus, carceribus, arte argentaria, negotiationibus aquisque ad urbem apte perducendis in hoc Iurisdictionum libro sancitae testantur, qua alacritate quaque prudentia publica salus privataque prosperitas opportunis legibus, prout illorum temporum ratio exposceret aut pateretur, a maioribus nostris quaererentur.

Novo igitur huic opusculo ex Ambrosianis Codicibus coalescenti, bone Lector, propitius arrideas, probe sciens sedula legum custodia ac investigatione quietem salutemque publicam contineri, augerique bonarum artium studia; et huius Metropolis decus praecipue legibus latis inter alias civitates summa cum sapientiae laude apud nostrates exterosque inclaruisse. Vale.

Dabam Mediolani
Idibus iuniis A. C. MDCCCLXIX.

STATVTA

IVRISDICTIONVM MEDIOLANI

In nomine Domini amen. Millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, indictione quarta, die martis vigesimo secundo mensis marzii, in pallatio novo comunis Mediolani, convocato et congregato pleno et generali conscillio noningentorum virorum, qui sunt conscillium mayus dicte civitatis, comitatus et districtus Mediolani, sono campane et voce preconia more solito pro infradicto negotio specialiter peragendo, et quod conscillium habet potestatem et bayliam de infradictis et quolibet eorum, et per quod conscillium tallia et simillia tam de iure quam antiqua consuetudine fieri possunt et explicari, de mandato sapientis viri domini Nicolay Fey de Aretio potestatis Mediolani eiusque comitatus et districtus, in quo conscillio aderant et sunt dom. Raymondus de Archi diaconus legum doctor vicarius reverendi et magnifici domini Iohannis Dei gratia archiepiscopi et domini Mediolani, dom. Iohannes Villanus, Franciscus de Carimate iurisperiti, Filipus de Vaprio,

Pasolus de Pontirolo, Iohanotus Fidelis, Petrolus de Robiate, Busnardus de Masiate, Ruminus Porchus et Paxinus de Cixnusculo de dominis duodecim presidentibus negotiis comunis Mediolani; ibique predictus dom. Nicholaus in dicto conscillio et coram dictis conscilliariis et aliis nobilibus et popularibus in eo constitutis proposuit et proponit, quod cum statuta facta et compilata anno curso millesimo trecentesimo quadragesimo octavo forent in publico et generali conscillio comunis Mediolani publicata, et postmodum ex certis causis ipsa statuta fuerint suspensa de mandato quondam bone memorie magnifici domini dom. Luchini Vicecomitis olim domini Mediolani, ita quod usque nunc ipsa statuta non sunt servata, et vigorem non habuerunt occaxione dicte suspensionis; et petiit a dictis conscilliariis sibi conscillium cohiberi, an dicta suspensio sit tollenda et dicta statuta cum correctionibus, emendationibus et adiectionibus super eis ab inde citra factis, et que fient hinc ad kalendas iunii proximas, prout in eis reperiretur esse preceptum, sint de novo publicanda et servanda, vel aliter vel aliud an ne, ita quod ipsa statuta et ordinamenta nova vigeant solo modo a kalendis iunii proxime futuris in antea incluxive; cetera vero que nunc vigent, vigeant amodo in antea usque ad dictas kalendas excluxive.

Dominus Conradinus de Bernadigio iurisperitus, unus de conscilliariis, surrexit et consuluit, quod auctoritate presentis conscillii suspensio facta de dictis statutis mandato dicti quondam dom. magnifici dom. Luchini Vicecomitis omnino tollatur et abolleatur, et quod dicta statuta facta et compilata dicto anno mil-

lesimo trecentesimo quadragesimo octavo et postea reformata cum correctionibus, emendationibus et addictionibus super eis factis et ab inde citra et que fient hinc ad kalendas iunii proximas, prout in eis scriptum esse reperiatur, publicentur et pro publicatis habeantur et teneantur, dicta suspensione non obstante; et quod ipsa statuta in civitate, comitatu et districtu Mediolani per quoslibet iusdicentes et offitialles in dictis civitate, comitatu et districtu Mediolani per quascumque allias personas serventur et servari debeant tantummodo a kalendis iunii in antea incluxive; et quod dicta statuta et ordinamenta nova vigeant et vigere debeant tantummodo in kalendis iunii proxime futuris in antea incluxive; cetera vero statuta et ordinamenta, que nunc vigent, vigeant et vigere debeant amodo in antea usque ad dictas kalendas iunii exclusive.

Dominus Ubertinus de Trizio iurisperitus consuluit in omnibus et per omnia, prout consultum est per dictum dom. Conradinum.

In refformatione cuius conscillii facto partito per ipsum dom. potestatem inter eos de sedendo ad levandum, fuit refformatum in omnibus et per omnia, prout per ipsos sapientes refformatum est.

Actum ut supra, presentibus Iacobino, Petro et Beriemolo fratribus de Panigarolis filiis dom. Beriemi, civibus Mediolani notariis ad statuta comunis Mediolani, Tobiollo Aliprando filio domini Rizardi porte nove, parochie s. Martini ad Nuxigiam, Rugerio de la Ecclesia filio quond. Alberti porte verceline, parochie s. Marie Pedonis, et Franzolo filio q. domini . . . . . porte ticinensis, parochie s. Sepulcri,

Filipolo Turisio et Bertana Trollia, ambobus tubatoribus comunis Mediolani civibus Mediolani, testibus vocatis et rogatis.

In nomine Domini. Millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, indictione quarta, die martis vigesimo secundo mensis martii. Prohemium statutorum sive iurium municipallium et ordinamentorum comunis Mediolani, factorum et compilatorum per sapientes et discretos viros dominos Leonem de Dugnano, Segniorolum de Homodeis, Manfredum de ser Azonibus, Arazinum de Aliprandis et Iacobinum de Bossiis iuris utriusque peritos, Filipum de Cazoriis, Franzinum de Bripio, Iacobinum de Ubregeriis, Iacobinum Panigarolum, Beltramum Gironum et Iohanolum de Paganis laycos cives Mediolani, et scriptorum per Paganolum Panigarolum notarium et civem et gubernatorem statutorum et ordinamentorum dicti comunis, ad hoc electos seu deputatos per comune Mediolani; que quidem statuta et ordinamenta seu iura municipalia facta seu compillata sunt ad magnificum et gloriosum honorem Domini nostri Iesu Christi et beatissime Virginis Marie matris eius, Iohannis Baptiste protectoris Longobardorum, et beati Ambrosii dignissimi confessoris et laudabillis protectoris et deffensoris comunis et hominum Mediolani, ac totius curie celestis, et honorem sacrosancte romane ecclesie, sacri imperii, nec non magnifici et excelsi domini dom. Iohannis Vicecomitis Dei gratia etc. civitatis et districtus Mediolani domini generalis, ac nobillis viri domini Nicholai Fey de Arezio Mediolani etc.

honorabilis potestatis, et ad refformationem et gratissimum statum et deffensionem comunis et hominum Mediolani et districtus, ac aliunde in eis utentium. Qui quidem sapientes affectantes tantum tamquam decus et fructuosum oppus eisdem comissum laudabilliter adimplere et fini congruo demandare, eligerunt in loco ab alliis curis segregato residere, donec petitum predictorum portum feliciter tetigissent, ibique a qualibet allia cura penitus segregati, huic operi quamquam laborioso et longissimo, gratuito tamen vehementi studio vigillantes, videntesque veterum volumina statutorum, provisionum, refformationum, cridarum et ordinamentorum dicti comunis, in quibus propter frequentes contrarietates nimiasque superfluitates, ordine non servato, diverse vagabantur sententie et confuxionis scroculus pullulabat, eadem emendare, prout divina potentia eisdem facultatem alacri studio et cura vigilli, statuentes, adiitientes, detrahentes, permutantes ac etiam de novo disponentes, eaque titulis congruis agregantes, prout eis visum extitit oportunum, et ea unico volumine in libris tamen octo, prout infra videbitur, dividentes, ut omni ab eisdem reiecta sorditie, nihil contrarium vel inutille relinquatur, sed velut fontis ameni claritas scitientibus oriatur; quorum octo librorum nomina sunt hec: iurisdictionum, mallefitiorum, civilium, extraordinariorum, victualium, datiorum, mercatorum Mediolani et mercatorum lane. Que quidem statuta et ordinamenta et iura municipallia post examinationem et correctionem factam per prefatos sapientes, iterum per allios infrascriptos sapientes, videlicet

dominos Symonem de Pontremulo tunc vicarium et exgravatorem domini Mediolani, et Laurentium de Bernadigio, Aramannium de Allamanis, Ambrosium de Triulzio, Francischolum de Capris, Astolfolum de Lampugnano, Francischum de Subinago, Franzium Spanzoram, Antoniolum Restam, Ruminum de Poris, Filipum de Capellis et Carnevarium de Mandelo laycos fuerunt visa, examinata et correcta, prout discretioni eorum visum fuit cedere omnium bono; ac etiam postmodum de anno presenti currenti millesimo trecentesimo quinquagesimo primo dispoxitum fuit per offitium provisionum nomine comunis Mediolani allios deputare sapientes, videlicet dominos Rugerium de Biffis, Arasmum de Aliprandis legum peritos, Otorinum de Burris, Guidetum de Pusterla, Maffiolum de Morigiis et Palliam de Grassis laycos viros discretos, qui super compilationibus factis per dictos allios primos et secundos sapientes, et super discrepationibus seu differentiis et alliis, qui eis viderentur cedere publice utilitati, deberent providere, adere, mendare, mutare ac de novo, ut eis videbitur, statuere; et sic opus predictum, ad quod deputati fuerunt, custodia et cura vigilli ac solicita, Deo propitio, quam velotius potuerunt, ad effectum perduxerunt, prout inferius sequitur.

In nomine Domini. Anno a nativitate eiusdem millessimo trecentessimo nonagessimo sexto, indictione quarta, die decimo tertio mensis ianuarii, hora vigessima secunda. Nobilis et egregius legum doctor dominus Antonius de Follionibus de Arezio vicarius generalis illustris Principis ac excellentis-

simi domini dom. ducis Mediolani etc. comitis Virtutum, et officio provixionis comunis Mediolani specialiter deputatus, et nobiles et prudentes viri domini Franciscus de Tegnosiis, Andreas de Ruziolo, legum doctores de collegio iudicum Mediolani, et cum eis domini Zanardus de Liprandis, Iohannotus de Cusano, Antoniolus Cominus, Mafiolus de Marliano, Vicencius de Comite, Arnoldus Pasqualis, Gasparus de Porris, Iohannolus Serazonus, Dionisius de Pegiis et Iohannes de Cremona, omnes duodecim cives Mediolani provisionibus, negotiis et defensionibus comunis Mediolani presidentes, nec non nobiles et circumspecti viri domini Beltramolus de Ferrariis sindicus, et Iohannolus de Capitaneis de Busti procurator Mediolani ac locumtenens nobilis et circumspecti viri domini Georgii de Moresinis, similiter eiusdem comunis sindici, ac familiaris prelibati magnifici et excellentissimi domini dom. ducis Mediolani, per prefatum dominum pro certis negotiis secretis prefati domini transmissi in legatione ad serenissimum principem et dominum dom. Venceslaum Dei gratia Romanorum regem semper augustum ac Boemie regem, et propterea nunc agentis in partibus Allamanie et Boemie aliisque remotis partibus: considerantes quod statuta comunis Mediolani noviter de mandato prelibati domini ducis ad executionem literarum infrascriptarum correcta, visa et examinata pro utilitate rei publice huius alme civitatis Mediolani, et iuxta temporum occurrentiam salubriter et mature correcta; considerantesque in vanum esse leges condere, nisi leges ipse ad operis efficatiam perducerentur; tenore igitur

presentium et omni modo, iure, via et forma, quibus melius potuerunt et possunt, etiam cum deliberatione et beneplacito multorum notabilium virorum in talibus expertorum, ad bonum et pacificum statum totius civitatis et universitatis Mediolani ad hoc per eos convocatorum, declaraverunt et declarant ipsa statuta et omnia et singula in eis contenta eo modo, quo correcta existunt et ordinata, esse publicanda et publicari debere per modum et formam, quod eis omnibus statutis et cuilibet eorum a kallendis mensis martii proxime futuris in antea ubicumque in iudicio et extra fides plena adhibeatur et pro lege municipali inviolabiliter observentur, habeantur, reputentur, et prout in infrascriptis litteris prelibati domini seriosius continetur. Quarum quidem literarum tenor sic sequitur:

Dux Mediolani etc. comes Virtutum. Statuta nostri comunis Mediolani, que examinari, videri et corrigi fecimus, prout pro comuni bono hominum dicte nostre civitatis eiusque comittatus cognovimus expedire, vobis remittentes, anexa statuta ipsa sic correcta presentium serrie laudamus, aprobamus et confirmamus, observarique iubemus et volumus ad literam sicut iacent, retentis nichilominus tamen arbitrio, potestate et bailia corrigendi, emendandi, mutandi et interpretandi eadem statuta, eisque et cuique eorum addendi et diminuendi, prout nobis videbitur et placebit; aprobantes ulterius et de nostre potestatis plenitudine confirmantibus ex nunc prout ex tunc omnem publicationem de eis fiendam, sicuti et quemadmodum eam duxeritis faciendam, non intendimus tamen quod per hanc confirmatio-

nem et aprobationem nostram preiudicetur in aliquo nostris negotiis, fiendisque ordinibus et decretis. Datum Mediolani, die quarto ianuarii, millesimo trecentessimo nonagessimo sexto. Iacobinus signavit.

A tergo: Sapienti viro domino Vicario et duodecim provixionum ac sindicis comunis nostri Mediolani presentibus et futuris.

Postea vero suprascriptis anno, indictione et die iovis tertiodecimo mensis ianuarii in vesperis, ad gloriam et laudem omnipotentis Dei et Salvatoris nostri et individue Trinitatis, cuius clementia cuncta reguntur, proteguntur et gubernantur, per quem et a quo iura et leges suscipiuntur et firmo robore conservantur, ad honorem etiam gloriose et intemerate virginis Domini nostri Iesu Christi genetricis, beatissimi Iohannis Baptiste protectoris partium Lombardie, totiusque cellestis curie, ac beatissimi confessoris gloriosissimi Ambrosii patroni huius alme civitatis Mediolani, nec non ad exaltationem et felicis status conservationem prenominati domini ducis Mediolani, prefati domini vicarius et duodecim, sindicus et locumtenens ut supra congregati existentes ad lengeriam novam comunis Mediolani, positam super lobia de Oxis in brolleto novo comunis Mediolani, sono tubarum et campanarum, ut moris est in talibus servari, premisso, in presentia etiam egregii et spectabilis viri domini Spinete de Spinolis de Loculo prenominate civitatis Mediolani honorabilis potestatis, presentibus etiam cum eis Francisco et Beriamolo ambobus de Panigarolis notariis et gubernatoribus statutorum, provixionum, cridarum

et reformationum comunis Mediolani, taliter correcta sub unico volumine comprehensa, quamvix in octo voluminibus divisa, videlicet iurisdictionum, malleficiorum, civillium, extraordinariorum, victuallium, datiorum, mercatorum et aliorum mercatorum facientium laborare lanam subtillem, cum moderationibus, additionibus, diminutionibus et correctionibus ipsis factis et descriptis, etiam, ut prefertur, ad executionem literarum prefati domini superius descriptarum, tamquam bona et utilia pro comuni bono hominum et personarum Mediolani et universitatis totius comitatus, diocesis et iurisdictionis Mediolani, publicaverunt et publicant, et pro publicatis et apertis haberi volunt et mandant taliter et modo tali, quod a kallendis mensis martii proxime futuris in antea serventur et observari debeant ac effectum debitum sortiantur in omnibus et per omnia, prout in dictis est anotatum, et de ipsis et quolibet eorum statutorum, prout unicuique placebit, fiat coppia, ac eis fides adhibeatur in iuditio et extra, et pro lege municipali inviolabiliter observentur, habeantur et reputentur per et inter homines ipsarum civitatis et comitatus, districtus, diocesis et iurisdictionis Mediolani, et inde extat de ipsa refformatione instrumentum traditum et rogatum per Galvagnolum Marcellinum notarium officio provixionum comunis Mediolani, anno, indictione et die suprascriptis.

In nomine Domini. Hec sunt statuta et ordinamenta seu iura municipalia facta seu compillata ad magnificum et gloriosum honorem domini nostri Iesu

Christi et beatissime Virginis Marie matris eius, Iohannis Baptiste protectoris omnium longobardorum [A], et beati Ambrosii dignissimi confessoris ac laudabilis protectoris et defensoris comunis et hominum Mediolani ac totius curie celestis, sacrosancte romane ecclesie et sacri imperii, nec non illustris principis ac magnifici et excelsi domini dom. Iohannis Galeaz Vicecomitis Dei gratia domini generalis Mediolani etc. comitis Virtutum, imperialis vicarii generalis, divisa in octo libros, quorum octo librorum nomina sunt hec: iurisdictionum, malefitiorum, civilium, extraordinariorum, victualium, datiorum, merchatorum et merchatorum lane.

I. *De cassatione ordinamentorum veterum.*

Decernentes ne aliunde statuta, consuetudines et ordinamenta, provixiones et reformationes tante urbis in statuta, ordinamenta, provixiones et reformationes comunitatis merchatorum nec aliorum merchatorum fatientium laborare lanam, nisi sint inserta in hoc volumine, vel nisi sint per presentia statuta reservata vel confirmata, in iuditiis nec contra iuditia exinde ullatenus alegentur nec etiam observentur; quinimmo cassantes ipsa omnia et singulla, et quod ex vigore huius statuti pro cassis habeantur, statutis et constitutionibus factis contra hereticam pravitatem in suo robore duraturis, per hoc tamen non derogetur nec derogatum esse intelligatur provixionibus vel refformationibus vel ordinamentis, que

A « Beata Theudolina ad honorem B. Iohannis Baptiste in burgo » de Modoetia ecclesiam construxit, et ipsum B. Iohannem » langobardorum patronum instituit » (Galv. Flamma *Chron. mai.*, cap. DIII).

haberent originem vel respectum ad pacta vel conventiones, que essent cum aliqua universitate vel singullari persona, facta per comune Mediolani, circha que nulla novitas fit de presenti; sed ipse provixiones et ordinamenta arbitrio et dispoxitioni magnifici domini dom. Mediolani reserventur et reservate et reservata esse ipso iure et facto intelligantur; et eo modo non intelligatur esse derogatum provixionibus nunc vigentibus factis a kalendis mensis iunii anni cursi MCCCLI citra, nec per presentia statuta nec per confirmationem de eis factam nec fiendam derogetur nec derogatum esse intelligatur in toto nec in parte alicui decreto nec ordinamento prefati magnifici domini seu eius mandato facto seu confirmato, edito nec edendo.

II. *De observatione statutorum.*

Potestas et eius iudices et milites et notarii et omnes alii iurisdictionem exercentes in civitate Mediolani et comitatu et quilibet eorum teneantur et debeant observare omnia statuta comunis Mediolani, et pro quolibet statuto neglecto et non observato vel omisso condempnetur quilibet eorum negligens, non observans vel omittens in libris centum tertiolorum, salvis aliis maioribus penis, que in statutis continentur.

III. *De pena opponentis quod non sit standum statutis et ordinamentis comunis Mediolani.*

Nulla persona possit opponere vel alegare, quod non sit standum statutis et provixionibus comunis Mediolani vel equipollens, pretextu alicuius iuris comunis, canonici vel civilis in contrarium loquentis. Et qui contrafecerit, sit ipso iure et facto extra

protectionem domini et comunis Mediolani; et si huiusmodi opponens fuerit actor, repellatur ab agendo, et si reus fuerit, a defendendo repellatur. Et advocatus allegans condempnetur in libris centum tertiolorum, et procurator in libris quinquaginta tertiolorum; et nichilominus talis oppoxitio seu alegatio nullius sit momenti; et iusdicens et consiliarius seu assumptus admittens talem alegationem seu oppoxitionem condempnetur in libris ducentum tertiolorum.

IV. *Quando presentia statuta incipiant debere observari.*

Presentia statuta et ordinamenta quoad ordinem iuditiorum tam civilium quam criminalium et ad solempnitates instrumentorum quoad innovata per presentia statuta locum habent solummodo a duobus mensibus in antea a die publicationis presentium ordinamentorum; cetera vero ordinamenta locum habeant a die publicationis presentium ordinamentorum in antea.

V. *Quod rubrice non disponant.*

Rubrice iuris nostri municipalis non disponant.

VI. *Quod iura municipalia serventur, ut litera iacet.*

Iura nostra municipalia serventur, ut litera iacet.

VII. *Reservatio certarum consuetudinum.*

Consuetudines comunis Mediolani in scriptis redacte, poxite sub rubricis de honoribus et districtibus et conditionibus, de decimis et de feudis de cetero vigeant et durent ac observentur, nisi quatinus reperiretur in contrarium, vel aliter esset specialiter provisum per ius municipale Mediolani.

VIII. *Quod iura municipalia serventur in terris comunitatis et iurisdictionis Mediolani.*

Iura nostra municipalia inviolabiliter observentur et locum habeant in quibuscumque terris, castris, locis et partibus et personis civitatis et comitatus, districtus, dyocexis et vel iurisdictionis Mediolani, non obstantibus aliquibus exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, concessionibus vel prerogativis vel quibusvis aliis iuribus, que dici vel alegari [A] possent in contrarium; quibus omnibus et singulis ex certa scientia per presens statutum derogatum sit, et ipso iure et facto derogatum esse intelligatur.

IX. *Quod statuta que reperiantur contra libertatem ecclexie pro non factis habeantur.*

Statuitur quod si aliquod presentium statutorum reperiretur in aliquo contra libertatem sancte matris ecclesie, quod sit cassum et irritum et nullius valoris et momenti, et pro non facto habeatur, in quantum esset contra dictam libertatem.

X. *Declaratio consuetudinum et observantiarum, que de cetero observari debent vel non debent.*

Consuetudines non alegentur contra iura scripta, nec ad eas probandas recipiatur probatio, nisi quatenus reperiatur in scriptis hoc iure municipali cautum. Ex possessione tamen presumatur quis habere dominium, nisi contra presumptionem predictam probetur, cum hactenus ita fuerit observatum.

Observentur etiam consuetudines generales, de quibus fit mentio in gloxis iuris civilis, et que hactenus fuerunt observate, inter quas etiam com-

A « excogitari » (*Cod.* B. 19 Inf.).

prehendatur, quod non prestetur satisdatio, de qua fit mentio in authentica *generaliter*, et in authentica *libellum*, et in tempore *(?)* authenticorum, unde dicte authentice assumuntur.

Item in questionibus criminalibus possit contestari lis etiam parte absente et non citata, et ferri possit sententia etiam parte absente et non citata, dum feratur in publica concione, et ad favorem absolvendorum serventur consuetudines seu observantie, licet non sint in scriptis in hoc iure municipali rêdacte, prout hactenus fuerunt observate.

Idem fit in questionibus datiorum ad favorem absolvendorum.

XI. *Qualiter rescripta dominationis debeant observari.*

Rescripta dominationis Mediolani observentur, si preces veritate nituntur, ut iura canonica et civilia de rescriptis declarant, nec aliquis propterea gravetur ex eo quod aleget vel opponat, aut probare velit, quod tali ratione, scilicet si preces tali veritate non nitantur, carere debeat impetratis.

XII. *De electione dominorum duodecim et eorum officio.*

Per dominum Mediolani eligantur duodecim sapientes de melioribus et idonioribus et prudentioribus civitatis Mediolani, prout ipsi domino melius videbitur, qui presint provixionibus et defensionibus comunis Mediolani, inter quos sint duo de collegio iudicum Mediolani, et duret eorum offitium per menses duos; qui duodecim habeant plenam potestatem et liberam facultatem et bayliam providendi, statuendi, ordinandi, diminuendi, mutandi et ad-

Filipolo Turisio et Bertana Trollia, ambobus tubatoribus comunis Mediolani civibus Mediolani, testibus vocatis et rogatis.

In nomine Domini. Millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, indictione quarta, die martis vigesimo secundo mensis martii. Prohemium statutorum sive iurium municipallium et ordinamentorum comunis Mediolani, factorum et compilatorum per sapientes et discretos viros dominos Leonem de Dugnano, Segniorolum de Homodeis, Manfredum de ser Azonibus, Arazinum de Aliprandis et Iacobinum de Bossiis iuris utriusque peritos, Filipum de Cazoriis, Franzinum de Bripio, Iacobinum de Ubregeriis, Iacobinum Panigarolum, Beltramum Gironum et Iohanolum de Paganis laycos cives Mediolani, et scriptorum per Paganolum Panigarolum notarium et civem et gubernatorem statutorum et ordinamentorum dicti comunis, ad hoc electos seu deputatos per comune Mediolani; que quidem statuta et ordinamenta seu iura municipalia facta seu compillata sunt ad magnificum et gloriosum honorem Domini nostri Iesu Christi et beatissime Virginis Marie matris eius, Iohannis Baptiste protectoris Longobardorum, et beati Ambrosii dignissimi confessoris et laudabillis protectoris et deffensoris comunis et hominum Mediolani, ac totius curie celestis, et honorem sacrosancte romane ecclesie, sacri imperii, nec non magnifici et excelsi domini dom. Iohannis Vicecomitis Dei gratia etc. civitatis et districtus Mediolani domini generalis, ac nobillis viri domini Nicholai Fey de Arezio Mediolani etc.

honorabilis potestatis, et ad refformationem et gratissimum statum et deffensionem comunis et hominum Mediolani et districtus, ac aliunde in eis utentium. Qui quidem sapientes affectantes tantum tamquam decus et fructuosum oppus eisdem comissum laudabilliter adimplere et fini congruo demandare, eligerunt in loco ab alliis curis segregato residere, donec petitum predictorum portum feliciter tetigissent, ibique a qualibet allia cura penitus segregati, huic operi quamquam laborioso et longissimo, gratuito tamen vehementi studio vigillantes, videntesque veterum volumina statutorum, provisionum, refformationum, cridarum et ordinamentorum dicti comunis, in quibus propter frequentes contrarietates nimiasque superfluitates, ordine non servato, diverse vagabantur sententie et confuxionis scroculus pullulabat, eadem emendare, prout divina potentia eisdem facultatem alacri studio et cura vigilli, statuentes, adiitientes, detrahentes, permutantes ac etiam de novo disponentes, eaque titulis congruis agregantes, prout eis visum extitit oportunum, et ea unico volumine in libris tamen octo, prout infra videbitur, dividentes, ut omni ab eisdem reiecta sorditie, nihil contrarium vel inutille relinquatur, sed velut fontis ameni claritas scitientibus oriatur; quorum octo librorum nomina sunt hec: iurisdictionum, mallefitiorum, civilium, extraordinariorum, victualium, datiorum, mercatorum Mediolani et mercatorum lane. Que quidem statuta et ordinamenta et iura municipallia post examinationem et correctionem factam per prefatos sapientes, iterum per allios infrascriptos sapientes, videlicet

dominos Symonem de Pontremulo tunc vicarium et exgravatorem domini Mediolani, et Laurentium de Bernadigio, Aramannium de Allamanis, Ambrosium de Triulzio, Francischolum de Capris, Astolfolum de Lampugnano, Francischum de Subinago, Franzium Spanzoram, Antoniolum Restam, Ruminum de Poris, Filipum de Capellis et Carnevarium de Mandelo laycos fuerunt visa, examinata et correcta, prout discretioni eorum visum fuit cedere omnium bono; ac etiam postmodum de anno presenti currenti millesimo trecentesimo quinquagesimo primo dispoxitum fuit per offitium provisionum nomine comunis Mediolani allios deputare sapientes, videlicet dominos Rugerium de Biffis, Arasmum de Aliprandis legum peritos, Otorinum de Burris, Guidetum de Pusterla, Maffiolum de Morigiis et Palliam de Grassis laycos viros discretos, qui super compilationibus factis per dictos allios primos et secundos sapientes, et super discrepationibus seu differentiis et alliis, qui eis viderentur cedere publice utilitati, deberent providere, adere, mendare, mutare ac de novo, ut eis videbitur, statuere; et sic opus predictum, ad quod deputati fuerunt, custodia et cura vigilli ac solicita, Deo propitio, quam velotius potuerunt, ad effectum perduxerunt, prout inferius sequitur.

In nomine Domini. Anno a nativitate eiusdem millessimo trecentessimo nonagessimo sexto, indictione quarta, die decimo tertio mensis ianuarii, hora vigessima secunda. Nobilis et egregius legum doctor dominus Antonius de Follionibus de Arezio vicarius generalis illustris Principis ac excellentis-

simi domini dom. ducis Mediolani etc. comitis Virtutum, et officio provixionis comunis Mediolani specialiter deputatus, et nobiles et prudentes viri domini Franciscus de Tegnosiis, Andreas de Ruziolo, legum doctores de collegio iudicum Mediolani, et cum eis domini Zanardus de Liprandis, Iohannotus de Cusano, Antoniolus Cominus, Mafiolus de Marliano, Vicencius de Comite, Arnoldus Pasqualis, Gasparus de Porris, Iohannolus Serazonus, Dionisius de Pegiis et Iohannes de Cremona, omnes duodecim cives Mediolani provisionibus, negotiis et defensionibus comunis Mediolani presidentes, nec non nobiles et circumspecti viri domini Beltramolus de Ferrariis sindicus, et Iohannolus de Capitaneis de Busti procurator Mediolani ac locumtenens nobilis et circumspecti viri domini Georgii de Moresinis, similiter eiusdem comunis sindici, ac familiaris prelibati magnifici et excellentissimi domini dom. ducis Mediolani, per prefatum dominum pro certis negotiis secretis prefati domini transmissi in legatione ad serenissimum principem et dominum dom. Venceslaum Dei gratia Romanorum regem semper augustum ac Boemie regem, et propterea nunc agentis in partibus Allamanie et Boemie aliisque remotis partibus: considerantes quod statuta comunis Mediolani noviter de mandato prelibati domini ducis ad executionem literarum infrascriptarum correcta, visa et examinata pro utilitate rei publice huius alme civitatis Mediolani, et iuxta temporum occurrentiam salubriter et mature correcta; considerantesque in vanum esse leges condere, nisi leges ipse ad operis efficatiam perducerentur; tenore igitur

et notariis et aliis de sua familia habeat et habere debeat pro suo feudo de avere comunis Mediolani pro medio anno, et pro suo eventu facto ante inceptionem regiminis, et pro tempore quo stabit ad sindicatum, libras quatuor millia tertiollorum et non ultra aliquo modo, videlicet tertiam partem primo mense sui regiminis, aliam tertiam partem in medio tempore sui regiminis, et aliam tertiam partem in fine sui regiminis, preter libras sexcentas tertiolorum, que stent penes canevarium communis Mediolani, quas habeat postquam fuerit absolutus per sindicatum, vel postquam de condempnationibus de eo vel de aliquo de eius famillia factis fuerit satisfactum comuni Mediolani vel illis qui habere debuerint, et nichilominus teneatur ipse et eius fideiussores. Et qui potestas sechum habeat et teneat ad suas expensas septem iudices iurisperitos bonos et ydoneos et legales et quatuor milites et sex notarios ad malefitia, quorum iudicum unus sit vicarius, qui sit doctor legum, et debeat stare in camera cum potestate et alibi, ubicumque fuerit necesse, pro consiliis et iustitia redenda; tres alii debeant stare ad causas tenendas ad loca eis assignanda per comune Mediolani in brolleto novo in palatio, et duo alii debeant superesse ad malefitia inquirenda ad loca sibi assignanda in brolleto novo, secundum quod

» ordinatis, et per dictum Spinolam in officio dicte potestarie » legitime habitis et perceptis a die XII presentis mensis martii » usque ad sex menses tunc proxime secuturos tenore pre» sentium facimus et constituimus etc. » Elapso illius novi rectoris officii tempore, eum dux ad alios sex menses confirmavit decreto Ticini dato quarto kal. septembris eiusdem anni. *(Ex Cod. ms. Fagnani*, p. 57*)*.

in statutis factis super inquirendis mallefitiis continetur; ex quibus iudicibus malleficiorum habeat unum a domino Mediolani ad expensas cibi et potus ipsius potestatis et ad sallarium communis Mediolani, et unus quorum iudicum debeat preesse pro tribus portis superioribus cum suis fagiis, et alius pro aliis tribus portis cum suis fagiis, et mutentur ipsi iudices malleficiorum singullis tribus mensibus, ita quod ille qui fuerit pro tribus portis superioribus, sit pro inferioribus et e converso [A]. Et si unus dictorum iudicum malleficiorum absentaverit, vel esset infirmus vel alia iusta causa impeditus, quod alius possit suplere vices alterius. Alius debeat superesse ad exigendum pecuniam, que comuni Mediolani debetur et debebitur ex quacumque causa, ad locum sibi assignandum in brolleto novo communis Mediolani, solutio cuius peccunie fiat camerario comunis Mediolani et non alicui alii persone; unusquisque quorum iudicum habeat iurisdictionem secundum quod natura sui officii requirit; et ne quis ex eis iudicibus se intromitat de offitio alicuius eorum nisi ex iusta causa, prout supra dictum est de iudicibus malleficiorum; et si contrafecerit, non valeat nec teneat illud quod fecerit ultra suum offitium, nisi ut supra. Quorum iudicum, militum et

A « Hunc (potestatem) ad iuditium personarum privatarum causa» rum sequitur in eodem broleto collegium iudicum, qui co» muniter sunt CXX iurisperiti viri per totum mundum famosi: » horum datas sententias scribunt notarii qui sunt plures MD; » nuntii comunitatis dicti servitores sunt numero DC et plus » (Galv. Flamma *Chron. Extrav.*, n. 87). Ignoscat prudens rector frequentes huius historiographi hallucinationes, quibus passim eius opera, ut antiquorum moris est, scatent.

notariorum ne quis sit, qui fuerit in aliquo offitio communis Mediolani infra annos tres proxime preteritos a die introytus sui regiminis vel offitii, et in quo regimine non sit aliquis expulsus, bannitus vel confinatus de terra sua. Qui potestas teneatur venire et esse in civitate Mediolani cum tota sua famillia per aliquod tempus ante introytum sui regiminis, et ibi stare per totum tempus sui regiminis, et ire ad ambasiatas et exercitus, cavalchatas et ad alias partes ad voluntatem domini communis Mediolani, absque eo quod ultra dictum feudum habere possit vel recipere aliquid de avere comunis Mediolani per se vel per aliquem de sua famillia vel aliunde aliqua occaxione vel modo, per consilium vel aliquo alio modo, et quod non possit ipse nec aliquis de eius familia habere aliquod feudum nec aliquid pro expensis seu sub alio titulo vel collore ab aliqua persona, collegio vel universitate sub predictis pennis, eundo per comitatum Mediolani vel extra aliqua occaxione vel modo; nec possit habere aliquos scopinos nec candellas de communi, ipso stante in civitate nec extra civitatem, salvo quod possit habere in comuni exercitu plaustra et tendas et bonatios et dischos et tripodas et scopinos, eo prestante victualia bebulcis, et hoc sub penna librarum quingentarum tertiolorum sui sallarii, quarum ipso iure compensatio facta sit, et quod in contrarium non possit provideri; et potestas et quilibet alius de familia sua, qui postulaverit quod aliqua additio, iunta vel donatio pecunie vel alicuius rei sibi vel alicui de sua familia vel alii persone suo nomine fiat, condemnetur in libris quingentis tertiol. in suo salario

compensandis, et ipso iure compensatio facta sit, et quod in contrarium non possit provideri; et qui potestas teneatur sechum ducere et tenere duodecim domicellos et duodecim schutiferos et equos viginti, inter quos sint sonipedes octo valoris librarum centum quinquaginta tertiolorum pro quolibet; et hec omnia suis expensis, et ducat illam familiam pedestrem que sibi deputabitur, et prout ordinabitur per dominum Mediolani ad stipendium comunis Mediolani, in quibus computentur persone conestabilium pro pagis duabus, et una paga pro custode brolleti, qui custos habitet in civitate Mediolani, et quem custodem debeat tenere ad suas expensas cibi et potus.

Item quod predictus potestas et illi de sua familia nec aliquis eorum non possint habere aliquod restaurum vel mendam de aliquo equo vel re, que moriretur vel amitteretur vel deterioraretur, nec possint habere nec petere vel peti facere aliquem equum vel equam, mullum vel mullam ab aliqua seculari vel ecclesiastica persona, nec que sit ad soldum communis, gratis vel alio modo, excepto quod ab illis, qui locant equos ad victuram, solvendo de suo proprio illius integram victuram sine fraude.

XXII. *De emendis equorum potestatis non fiendis.*

Non fiat per comune Mediolani emenda alicuius equi alicui, nisi de illis equis, qui mortui fuissent vel anichillati in prellio vel bello pro comuni Mediolani.

XXIII. *Quod baruerii domini potestatis induantur similibus vestibus.*

Baruerii domini potestatis sint induti de similibus vestibus.

XXIV. *De iurisdictione domini potestatis.*

Potestas Mediolani habeat merum et mistum imperium et plenam iurisdictionem in civitate et districtu Mediolani, et etiam extra districtum, in exercitibus et cavalcatis comunis Mediolani.

XXV. *De sacramento domini potestatis.*

Iuro ego. . . . . potestas Mediolani ad sancta Dei evangelia corporaliter tactis scripturis, quod sum et ero fidelis et amator sancte matris ecclesie et sacri imperii et magnifici et excelsi domini dom. Mediolani et communis et hominum Mediolani, et regam et custodiam et conservabo et defendam et manutenebo commune et homines et singullares personas civitatis et districtus Mediolani, et precipue pupillos, orfanos et alias miserabiles personas, et eorum bona et iura et res toto tempore mei regiminis bona fide sine fraude, et recuperabo iurisdictiones, honores, iura et res pertinentes comuni Mediolani meo posse, et illa in quibus seu quorum possessione seu quasi fuit aut esse debuit comunis Mediolani iuxta formam privilegiorum, possessionum et iurium ipsius comunis, et pro posse faciam ut ipsum commune omnibus suis iuribus integre potiatur, et quod ne quis ab ea iurisdictione sit exemptus vel immunis; et attendam et observabo omnia statuta, ordinamenta et refformationes Mediolani facta et que fient meo tempore, et constitutiones editas contra hereticam pravitatem tam canonichas quam civiles; et ero contentus in sallario michi concesso, nec ultra ullo modo vel ingenio petam nec recipiam nec procurabo, et expellam et puniam meo posse omnes banitos mallefitii in civitate et districtu

Mediolani et hereticos, quibuscumque nominibus censeantur; et quod bis in die vel horis deputatis ibo ad tribunal constitutum in pallatio pro iure redendo, nisi stetero pro republica vel iusto impedimento; et quod etiam ibo ad omnes et singullas oblationes ordinatas et que ordinabuntur per dominum seu comune Mediolani, nisi stetero impeditus ut supra, et dabo operam cum effectu et curabo, quod iudices et notarii mei ibunt bis in die, videlicet in mane et post nonas, ad loca eis deputata pro suis offitiis faciendis, nisi steterint pro republica vel alia iusta causa; et quod ibunt ad omnes et singullas oblationes ut supra, nisi steterint impediti ut supra; et quod stabo cum tota mea familia ad sindicatum, secundum quod in statutis communis Mediolani continetur; et satisdabo per duos menses ante exitum mei regiminis in conscilio mayori cum bonis fideiussoribus pro me et universa mea familia in manibus dominorum sex de fatiendo rationem mei offitii, et de stando ad sindicatum et de solvendo et solvi faciendo totum id, quod ego vel aliquis de mea familia condempnati fuerimus, salvis semper et reservatis mandatis prefati domini, ut supra.

XXVI. *De sacramento famillie domini potestatis Mediolani* [A].

Iuro ego N. iudex et ego N. miles seu sotius domini potestatis ad sancta Dei evangelia, quod attendam et observabo statuta et ordinamenta et refformationes et consuetudines communis Mediolani facta et facienda et factas et faciendas, et dabo operam cum

A Hoc statutum et duo sequentia desiderantur in Cod. B. 19.

effectu meo posse, quod dictus dominus potestas et quilibet alius atendet et observabit ea, et non fatiam nec fieri fatiam aliquod achatum vel lucrum in offitio meo vel occasione offitii mei aliqua occaxione vel modo, excepto sallario mihi promisso per potestatem; et quod fideliter ad honorem comunis Mediolani exercebo et procurabo ea, que michi fuerint comissa, et quod veniam et stabo ad offitium meum explicandum bis in die ad locum mihi designatum diebus iuridicis horis deputatis, nisi fuero iuste impeditus, et quod ibo ad omnes et singullas oblationes ordinatas, et que ordinabuntur per dominum seu comune Mediolani, nisi fuero iuste impeditus, et quod operam dabo pro posse cum effectu, quod notarii exercentes aliquod officium cuiuscumque maneriey sint, et aprobatores cautionum et canevarii mayores et minores et superstites carcerum, et omnes alii officiales in civitate et comitatu Mediolani non recipiant aliquid ultra ea, que sibi sunt ordinata per statuta comunis Mediolani.

XXVII. *De officio Notariorum mallefitiorum et eorum offitio et sacramento.*

Ad offitium notariorum mallefitiorum tam domini potestatis quam curie domini Mediolani sint notarii forasterii, quorum offitium sit scribere et in actis ponere legaliter et fideliter . . . . . . omnes scripturas ad offitium mallefitiorum pertinentes, et scribere banna et condempnationes sui offitii, et exhimationes bannorum et consignationes et rellassationes carceratorum, et omnia in actis ponere, que ad suum spectant offitium; et hoc sua manu, nisi infirmitate vel absentia vel iusta causa steterit

ipse notarius impeditus, de quibus teneantur congruo tempore facere cuilibet volenti exemplare ipsas scripturas etiam sine aliqua remuneratione, et teneantur subscribere scripturas ab actis sui offitii exemplatas, etiam si ab alio sint exemplata, et teneantur gerere offitium suum bene et legaliter, et nullum lucrum vel acatum causa nec occasione sui offitii, vel de pertinentibus ad regimen vel offitium potestatis vel sui iudicis sui officii facere, de quibus teneantur ipsi notarii prestare sacramentum.

XXVIII. *Quod notarii forasterii non habeant coadiutores.*

Notarii forasterii domini potestatis vel alicuius alterius habentis iurisdictionem in civitate vel comitatu Mediolani nec aliquis eorum non possint habere aliquos coadiutores notarios nec alios nec aliquem notarium nec alium, qui stet intus scanziam; et hoc sub penna et banno iudici, sub cuius examine fuerit, librarum quinquaginta tertiolorum, et per sacramentum computandarum in feudo domini potestatis vel alterius iudicis contrafacientis; et notarius vel alia persona, qui vel que staret pro coadiutore vel intra stangam, condempnetur in soldis sexaginta tertiolorum qualibet vice; et quilibet possit accusare et habeat medietatem.

XXIX. *Quod notarii forasterii dent scripturas partibus.*

Predicti notarii per sacramentum et sub penna et banno librarum decem tertiolorum pro quolibet, et iudici, sub cuius examine fuerint, totidem, teneantur et debeant dare scripturas, que de iure possunt et debent dari partibus, ipsa die qua petentur vel

sequenti, vel saltem dimittere partes et quamlibet earum facere eas exemplari per quem voluerint, et eas subscribere sub penna predicta et banno, quam pennam toties incurrant, quotiens contrafecerint, et que penna compensari debeat in feudo domini potestatis seu illius, qui contra predicta vel aliquod predictorum fecerit; et quilibet possit accusare et habeat medietatem, et alia medietas sit comunis Mediolani.

XXX. *Quod coadiutores offitii mallefitiorum non procurent coram iudice mallefitiorum.*

Coadiutores officii mallefitiorum non possint procurare nec postulare coram aliquo ex iudicibus mallefitiorum.

XXXI. *De remuneratione coadiutorum mallefitiorum.*

Accipere possint coadiutores offitii mallefitiorum, seu eorum offitium vendatur, pro scriptura seu exemplatura accuxarum [A], inquisitionum et aliorum processuum et testifficationum imperiales quatuor pro qualibet impagina congrue scripta et non ultra, sub penna aliis notariis transgredientibus ordinata; et contra eos ita credatur et procedatur, et de aliis, ita quod si testes recipiantur per alium quam per notarios malleficiorum, quod possit accipi exemplum a notario recipiente testes, sine aliqua contributione facienda coadiutori.

XXXII. *De offitio coadiutorie.*

Offitium coadiutorie sit tantum ad exemplandum acta et scripturas notarii forasterii illius offitii, et

A « actorum » (*Cod.* B. 19).

non possint recipere mayorem solutionem, quam habere debent notarii aliorum offitiorum pro exemplatura testium et aliarum scripturarum, sub penna soldorum viginti tertiolorum qualibet vice.

XXXIII. *Quod omnes mediolanenses possint realiter et personaliter, civiliter et criminaliter per potestatem et alios iusdicentes conveniri.*

Omnes et singuli de civitate, districtu, iurisdictione, comitatu vel diocexi Mediolani possint et debeant per potestatem et alios exercentes iurisdictionem in civitate Mediolani [A] et per quemlibet eorum et sub eis et quolibet eorum realiter et personaliter, civiliter et criminaliter conveniri et compelli, ipsique teneantur et debeant coram eis et sub eis et quolibet eorum respondere et iuri parere, privilegio, prerogativa vel exceptione aliquo vel aliqua vel alia quavis excusatione non obstante nec admissa.

XXXIV. *Quod tempore absentie et impedimenti alicuius iusdicentis alius iusdicens possit supplere.*

Si contingat aliquem ex vicariis vel iudicibus domini Mediolani vel potestatis vel alterius offitii se absentare [B], vel alias non posse superesse suo

A Vide statutum « quod iura municipalia etc. » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II, 20).

B Si iurisperiti vel iudices vel iusdicentes causa alterius officii ex mandato ducis vel reipublicae obeundi alio abirent, ne privatae eorum clientium res damnum paterentur, temporis dilatione gaudebant: « Quia sapiens legum doctor dom. Ambrosius de Buziis » de collegio iurisperitorum civitatis nostre Mediolani (ait dux » Io. Galeatius Vicecomes in decreto suo hac urbe dato die XIII » ianuarii a. MCCCXCVI) de presenti equitaturus est hinc Papiam » pro negotiis venerabilis fabrice maioris ecclesie Mediolani, » serie presentium omnes et singulas causas, lites, questiones

offitio, quod alius iusdicens pro eo ascendens supplere possit.

XXXV. *Quod offitium inventionum armorum, euntium* [A] *de nocte, bordellorum et bischilaziarum expediatur per vicarium domini potestatis.*

Vicarius potestatis debeat et teneatur cognoscere, examinare et diffinire de causis et processibus inventionum armorum vetitorum, et euntium de nocte, de bordellis et luxoribus tassillorum, et prestatoribus ad bischilaziam et de tenentibus bischlatias, quas sumarie debeat decidere et terminare, secundum quod ei videbitur pro meliori.

XXXVI. *De illis qui debent assotiare dominum potestatem ad oblationes.*

Elligantur seu deputentur per offitium provixionum omni anno de mense ianuarii homines triginta sex, videlicet sex pro qualibet porta, de nobilioribus [B] et mayoribus civibus habitantibus continue cum familia in civitate Mediolani, quorum offitium sit assotiare dominum potestatem et eius iudices et collateralles ad oblationes et similia; et qui fuerint uno anno ad dictum offitium, non possit elligi nec constitui ad dictum offitium infra quinque annos

» et controversias, in quibus ipse dom. Antonius est vel erit » solus advocatus, delegatus etc., suspendimus et in suspenso » teneri volumus et iubemus a die qua hinc recedet pro eundo » Papiam, ut prefertur, inclusive, usque ad diem sui regressus » Mediolanum inclusive, ac post duos dies immediate sequentes, ita quod interim nullum tempus, nullaque temporis instantia curret etc. » Sequitur postea index causarum negotiorumque omnium, ad quae illud decretum spectat.

(*Ex Cod. ms. Fagnani p.* 56, *v.° in Bibl. Ambr.*).

A « stantium » (*Cod.* B. 19).

B « nobilibus » (*Cod.* B. 19).

ab exitu dicti sui offitii computandis; et ultra ipsum numerum non liceat potestati nec alicui ex iudicibus nec offitialibus eius facere aliam cernedam, nec citare aliquam aliam personam dicta vel similli occaxione, sub penna dicto potestati librarum centum tertiolorum qualibet vice.

XXXVII. *Quod potestas cum tota sua famillia teneatur stare ad sindicatum, et de ordine sindicandi.*

Potestas, finito tempore sui regiminis, teneatur stare post finitum suum regimen cum tota sua familia in civitate Mediolani ad sindicatum, ut infra dicetur, et facere rationem cuilibet sub sindicatoribus [A], et attendere et observare et observari facere et curare, quod omnes illi de sua familia atendant et observent quicquid illi sindicatores vel mayor pars eorum dixerint et statuerint vel pronuntiaverint contra ipsum potestatem [B] vel aliquem de sua familia, illum vel illos vel aliquem ex eis condempnando, et hoc antequam discedant de civitate Mediolani [C]. Et qui sindicatores infra decem dies a die incoati eorum officii computandos teneantur pronuntiare de eo et super eo, quod liquidum fuerit, et id quod liquidum non fuerit, liquidetur, si liquidari poterit, infra quinque dies proxime sequentes; quibus diebus quinque elapsis, teneantur dicti sindicatores infra alios quinque dies proximos pronuntiare condempnando vel absolvendo, sub penna librarum decem tertiolorum

A Vide decretum « super sindicatibus » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II, 20).
B Vide statutum « de sacramento prestando per dom. potestatem ». (*Nota in Cod.* S. Q. P. II, 20).
C Vide statutum « de elligendis sindicatoribus » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II, 20).

cuilibet sindicatori; et duret eorum iurisdictio usque ad viginti dies, nisi prius terminentur questiones; et si reperiretur ipsum potestatem vel aliquem de familia eius aliquid fraudasse vel indebite habuisse de avere comunis Mediolani, teneantur et debeant ipsi sindicatores condempnare ipsum potestatem seu alium de eius familia culpabilem in quadruplum, dandum et restituendum comuni Mediolani. De eo autem quod accepissent indebite ab aliqua persona vel universitate, condempnentnr in duplum; et si aliquo modo privatam personam vel universitatem condempnaverint, dampnum restituant passo cum expensis et totidem comuni Mediolani, salva mayoritate pennarum, si qua in aliquibus ex presentibus statutis reperiatur.

XXXVIII. *De libellis in causa sindicatus dandis infra quinque dies.*

Libelli qui dabuntur domino potestati vel eius familie vel alicui eorum tempore sui sindicatus, debeant dari infra quinque dies a die incoati offitii sindicatorum computandos; et elapsis ipsis quinque diebus, nullus possit dare libellum dicto potestati nec alicui de familia sua, nec sindicatores possint nec debeant recipere aliquem libellum, elapsis predictis quinque diebus; et predictus potestas et eius familia, elapsis predictis quinque diebus, si libellus non fuerit datus dicto potestati vel alicui de eius familia, vel inquixitio aliqua non esset formata contra ipsum potestatem vel eius familiam ipsis quinque diebus, dictus potestas possit cum gratia Dei cum tota sua familia ad propria remeare. Et si dicto potestati vel alicui de eius familia infra dictos quin-

que dies datus fuerit libellus, vel esset formata inquisitio, et aliquis vel aliqui adessent, cui vel quibus non esset datus libellus nec formata inquisitio infra alios quinque dies, possint ille et illi, cui vel quibus non esset datus libellus, vel non esset inquisitio formata, ut supra, similli modo ad propria remeare.

XXXIX. *Quod novus potestas teneatur exigere condempnationes factas per syndicatores de potestate preterito et eius familia.*

Novus potestas teneatur pro posse exigere et executioni mandare condempnationes factas per sindicatores de potestate preterito et eius familia infra tertiam diem postquam facte fuerint, sub penna librarum quinquaginta tertiolorum de suo sallario, et quod non possit reformari in contrarium; et si fieret, non valeat.

XL. *Quod potestas tempore sindicatus stet extra domos communis.*

Potestas et eius iudices et notarii et omnes alii officiales, finito offitio, teneantur et debeant discedere de domibus communis Mediolani, et extra domos communis Mediolani stare per totum tempus sui sindicatus; et quod durante tempore eorum sindicatus, non possint aliquod offitium exercere in civitate vel comitatu Mediolani.

XLI. *De satisdatione prestanda per potestatem.*

Potestas presens et qui pro temporibus fuerit, teneatur et debeat satisdare pro se et eius familia in manibus dominorum sex vel eorum offitialium, per duos menses ante exitum sui regiminis, in consilio mayori communis Mediolani cum bonis fideiussoribus, de stando ad sindicatum finito tempore sui

regiminis, et de restituendo totum id, in quo fuerit condempnatus ipse vel aliquis de sua famillia, secundum formam statutorum communis Mediolani.

XLII. *De satisdatione offitialium forasteriorum.*

Similem satisdationem facere teneatur quilibet alius offitialis comunis Mediolani forasterius coram sindicatoribus cum bonis fideiussoribus, qui non sint de magnatibus communis Mediolani.

XLIII. *Quod nullus mediolanensis sit advocatus vel procurator potestatis nec alterius* [A] *offitialis tempore sindicatus eorum.*

Nullus civitatis vel comitatus Mediolani sit advocatus vel procurator potestatis nec eius familie, nec alicuius eorum, nec alicuius alterius offitialis sindicandi in causis sindicatus, et quod aliquis non audeat nec presumat ire vel stare cum eis vel aliquo eorum coram sindicatoribus pro faciendo iniurias vel minas alicui conquerenti de ipsis vel de aliquo eorum, nec aliquod impedimentum prestare quominus in dictis causis procedatur. Et si quis contrafecerit, condempnetur in libris quinquaginta tertiolorum qualibet vice, et super predictis teneatur potestas inquirere et punire suo offitio.

XLIV. *De syndicatoribus elligendis.*

Finito regimine potestatis, eligantur per dominum Mediolani seu per offitiales provixionum primo die vel sequenti post finitum regimen sex providi viri et discreti; quorum duo sint de collegio iudicum Mediolani, alii vero duo layci et duo notarii, et duo servitores, qui sex appellentur sindicatores potestatis

A « alicuius » (*Cod.* B. 19).

et eius famillie, et qui contra predictum potestatem et eius familiam habeant iurisdictionem inquirendi et procedendi, condempnandi et absolvendi in omnibus et per omnia, prout continetur in statuto incipiente: « Sindicatores etc. » et etiam in statuto incipiente « Potestas finito tempore etc. », et prout in aliis statutis continetur; et habeant ipsi sindicatores, si fuerint iurisperiti, solidos xvi tertiolorum in die pro quolibet, et si fuerint layçi, solidos octo tertiolorum; et notarii solidos decem tertiolorum pro quolibet in die.

XLV. *De offitio syndicatorum potestatis et aliorum offitialium.*

Sindicatores qui de cetero fuerint ellecti ad sindicandum dominum potestatem Mediolani [A] vel aliquem de eius familia, vel aliquem alium iudicem vel offitialem in civitate vel comitatu Mediolani, habeant auctoritatem, potestatem et bayliam au-

A Nomina examinatorum Dyni de Rocha mediolanensis praetoris exhibentur in ducali decreto hac urbe dato idibus martiis a. MCCCXCVIII: « Quia sapientes viri dom. Christoforus de Pandulfis et Iohanninus de Gluxiano de collegio iureperitorum » civitatis nostre Mediolani presentialiter occupati sunt circa » sindicatum Dyni de la Rocha olim potestatis dicte nostre » civitatis familieque sue, presentium serie instantias causarum etc. et quas in scriptis dederunt vicario provisionum » comunis nostri Mediolani suspendimus et in suspenso teneri » volumus et iubemus ab hodierna die veneris inclusive in » antea, usque quo finitus erit huiusmodi sindicatus, et per » tres dies utiles post immediate sequentes, ita quod immediate finitis dictis tribus diebus utilibus post sindicatum predictum, sint et esse intelligantur instantie dictarum questionum » et controversiarum, et quelibet earum in illismet statu et » gradu, in quibus sunt dicta die hodierna etc. ». Sequitur index quaestionnm et causarum.

(Ex Cod. ms. Fagnani, p. 70, *in Bibl. Ambr.)*.

diendi, examinandi et cognoscendi pro se et sine datione alicuius sapientis de omnibus et singulis, que per illum vel illos, quos sindicare debuerint, comissa et perpetrata fuerint vel dicerentur perpetrata fuisse in eorum vel alicuius eorum offitio contra formam iuris, statutorum et ordinamentorum communis Mediolani, et contra honorem vel debitum offitii eorum vel alterius eorum, et de omnibus et singullis per ipsum potestatem, iudices et offitialles et famulos vel aliquem vel aliquos ex eis factis, gestis et administratis, et que fieri, geri et administrari debuerint, et etiam neglectis et omissis per eos vel alterum eorum in eorum vel alicuius eorum offitio, et generaliter de quibuscumque fraudibus, mallefitiis vel baratariis per eos vel alterum eorum comissis in eorum vel alterius A eorum offitio vel eo durante; et in predictis et super predictis omnibus et singulis procedendi et veritatem reperiendi tam per offitium seu per inquixitionem, quam per accusam, querellam, petitionem vel querimoniam vel aliam simplicem notifficationem vel scripturam ipsis vel coram ipsis sindicatoribus vel eorum offitio vel ad banchum vel etiam in cepo poxitis, porectis vel productis per aliquam personam, comune, collegium vel universitatem, prout ipsis sindicatoribus melius videbitur expedire, et proclamationes et cridas fieri fatientibus tam in civitate quam in comitatu Mediolani, et maxime in locis et partibus, in quibus ille vel illi, qui fuerint sindicandi, habitabant et conversabantur tempore sui offitii, et ubi eorum offitium

A « alicuius » (*Cod.* B. 19).

exercebant, et alia quecumque fatiendi et explicandi, que eis sindicatoribus videbuntur opportuna. Et hec omnia sumarie de plano sine strepitu et figura iuditii, ac etiam sine aliqua libelli vel declarationis datione et litis contestatione, per iuditium seu iuditia, per vocem et famam et tormenta et alia quecumque remedia, omnique iuris et statutorum substantia et solempnitate penitus pretermissis; et quod a sententiis ipsorum sindicatorum appellari, querellari nec supplicari non possit ullo modo, sed ipse sententie executioni mandentur per quemlibet iusdicentem omnibus iuris remédiis, omnique exceptione, defensione et contradictione remota.

XLVI. *De penna offitialium comitentium baratariam.*

Quicumque offitialis qui baratariam comiserit, aliquid comittendo vel fatiendo, propter quod lexum sit comune Mediolani vel singularis persona, condempnetur in quadruplum totius eius, de quo inveniretur lexio, cuius quadrupli medietas aplicetur lexo, et alia medietas aplicetur comuni Mediolani; et si comunis Mediolani solum lexum fuerit, totum aplicetur dicto comuni lexo. Et si non perceperit, sed solum promissionem habuerit, ille qui promixit, teneatur illud dare comuni, et totidem illi qui ledebitur ex huiusmodi promissione, si effectum habuisset, et nichilominus offitialis condempnetur in triplum eius, de quo receperit promissionem dandam ut supra [A].

A Minister extorsiones inquirens eligitur in subiecto ducis decreto Ticini dato idibus augustis a. MCCCXCVI: « De experta legalitate, » sufficientia et industria prudentis viri Iacobini de Restis civis

XLVII. *Quid intelligatur esse barataria.*

Baratariam autem intelligamus, si quis pretio, pacto seu conventione, aliquo dato vel promisso seu remisso, aliquid fecerit vel omixerit in offitio suo, propter quod comunis vel singularis persona ledatur vel ledi posset.

XLVIII. *De eodem.*

Si vero sine aliquo dato, promisso, vel conventato vel remisso per dolum vel fraudem aliquid fecerit vel omixerit in offitio suo, eo casu condempnetur in triplum eius, in quo lexerit commune vel singullarem personam, cuius medietas aplicetur lexo, et reliqua medietas comuni Mediolani. Et si comune Mediolani lexum fuerit, totum aplicetur comuni predicto.

XLIX. *De eodem.*

Si vero per imperitiam aliquid fecerit vel omixerit [A] in offitio suo, ita quod commune vel singul-

» nostri Mediolani plenarie confidentes, eundem Iacobinum
» officialem nostrum ad officium inquirendi extorsiones et ba-
» ratarias, que fiunt per servitores, baruerios et alios officiales
» tam camere nostre quam comunis nostri Mediolani, qui va-
» dunt ad pignorandum seu derobandum in dictis nostris civi-
» tatibus et ducatu, et contra tales servitores, baruerios et offi-
» ciales procedendi, prout in litteris nostris alias concessis
» Iohanni de Lomatio ipsi officio presidenti latius et plenius
» continetur, loco dicti Iohanni de Lomatio, quem ex certa
» scientia ab ipso officio revocamus, a kalendis septembris anni
» presentis usque ad nostrum beneplacitum, cum auctoritate,
» baylia, salario, commoditatibus, prerogativis et aliis com-
» prehensis in prescriptis nostris prioribus litteris et ordina-
» mentis, licite hactenus haberi et percipi consuetis per Iohan-
» ninum predictum, tenore presentium constituimus et crea-
» mus. »

(Ex Cod. ms. Fagnani p. 59 v.°, in Bibl. Ambr.).

A « commiserit » (*Cod.* B. 19).

laris persona sit lexa, condempnetur arbitrio iudicantis passo dampnum usque ad simplum; et si non apareret dampnum alicuius vel non probetur, non condempnetur in aliquo, nisi certa pena per statuta sit imposita.

L. *Quod potestas et illi de sua familia aliquid non recipiant.*

Potestas et illi de sua familia vel aliquis eorum vel aliquis pro eis non possint nec debeant aliquid recipere ab aliqua persona seculari vel ecclesiasticha civitatis vel districtus Mediolani, nec etiam aliunde, ratione vel causa sui offitii, etiam exculenta vel pocullenta, postquam venerint ad civitatem, per tempus sui regiminis et sui offitii.

LI. *Quod condempnati ad sindicatum non possunt habere offitium.*

Potestas et quilibet iudex vel offitialis vel miles aut notarius vel in aliquo alio offitio constitutus, qui sit forasterius, vel qui de cetero constitui contingerit, qui condempnatus fuerit vel condempnabitur ad sindicatum, non possit unquam in civitate vel comitatu Mediolani habere aliquod offitium vel benefitium vel stipendium seu soldum, sed de civitate et comitatu Mediolani recedere teneatur et solvere condempnationem; quam si non solverit, et non recesserit infra mensem unum, possit offendi in avere et persona impune, excepto casu homicidii.

LII. *Quod qui fuerit vel erit potestas, rector vel iusdicens comunis Mediolani, non possit esse in aliquo offitio, nixi elapsis tribus annis.*

Quicumque fuerit vel erit potestas, vicarius vel iusdicens vel exactor sive milles seu notarius vel

in aliquo alio offitio in civitate Mediolani vel districtu, qui non sit civitatis vel districtus Mediolani, finito tempore sui offitii limitato secundum formam presentium statutorum, non possit esse in aliquo offitio pro comuni Mediolani vel aliqua universitate civitatis vel comitatus Mediolani, nisi prius tribus annis elapsis computandis ab exitu sui regiminis vel offitii; et si de facto fuerit, quod expellatur incontinenti de civitate et comitatu Mediolani, sine aliqua spe sallarii. Et quod nullus potestas, vicarius vel iusdicens, qui non sit de civitate Mediolani, durare non possit in regimine, nisi binos sex menses in civitate, comitatu, districtu vel diocexi Mediolani; et si fierit contrarium, expellatur et non habeat salarium. Et predicta non habeant locum in vicarium provixionum offitio presidentem [A], qui tamen de causis singullarium personarum ullo modo se intromittere non possit, nisi quatinus esset ordinatum vel provixum. Quod statutum sit precixum, et non possit ei in aliquo derogari aliquo modo vel ingenio, nisi per dominum Mediolani in contrarium fuerit dispoxitum.

LIIII. *De sacramento prestando per vicarium* [B] *et iudices domini Mediolani et potestatis et alios vicarios terrarum comitatus Mediolani.*

Quilibet ex vicariis et iudicibus domini Mediolani,

A « Nota de vicario provisionum » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II. 20).

B Ipse ducis vicarius repetundarum rationi subiectus erat, cuius examinatoribus hoc decretum datum invenitur xv die decembris a. MCCCXCVI Mediolani: « Dux Mediolani etc. Quia dom. Franciscolus de la Mayrola et Franciscolus de Tignosiis de collegio iurisperitorum civitatis nostre Mediolani, et Ambrosius Trincherius et Marcolus de Angleria procuratores, et Steffanus

et ex potestatibus et vicariis terrarum comitatus, iurisdictionis, districtus seu diocexis Mediolani, qui erit ex offitio tempore publicationis presentium statutorum, teneatur et debeat infra mensem a publicatione ipsorum statutorum prestare iuramentum in manibus vicarii provixionum et nomine et vice magnifici domini et comunis Mediolani, de gerendo et exercendo offitium suum bene et legaliter, et de observando et observari fatiendo mandata prefati domini, et statuta et ordinamenta comunis Mediolani, nisi quatinus a prefato domino specialiter et ex certa scientia in contrarium seu aliter disponeretur; et de hoc ipse vicarius provixionum teneatur facere fieri cridam infra dies octo a publicatione presentium statutorum. Et simile sacramentum prestent et fatiant et facere debeant futuri vicarii, iudices et potestates, antequam intrent eorum offitia.

» de Mayneriis presentialiter occupati sunt circa sindicatum
» dom. Gerardi de Collis olim vicarii, et notariorum et totius
» familie Antonii de Rosignano vicarii nostri; harum serie lites,
» causas, questiones, controversias, in quibus dicti Franciscolus
» et Franciscolus sunt advocati soli, et in quibus ambo sunt
» advocati pro una parte, commissarii, assumpti vel delegati,
» arbitri, arbitratores et amicabiles compositores soli vel cum
» alio, nec non et illi, in quibus supradicti Ambrosius et Mar-
» colus sunt procuratores seu patrocinatores etc. et etiam
» ipsorum dominorum Franciscoli et Franciscoli et Ambrosii,
» Marcoli et Stefani causas etc. suspendimus et in suspenso
» teneri volumus et iubemus ab hodierna die veneris inclusive
» in antea, usquequo finitus erit sindicatus predictus, ac per
» tres dies utiles post immediate sequentes; ita quod interim
» in ipsis litibus etc. nullum tempus currat etc. »

(Ex Cod. Fagn. p. 60 in Bibl. Ambros.).

LIV. *De reservatione litterarum presentium vicarii domini Mediolani.*

Per presentia statuta non intelligatur in aliquo derogatum litteris seu bayliis per magnificum dominum Mediolani vicariis et potestatibus in curia prefati domini comorantibus, sed auctoritate horum statutorum omnem roboris firmitatem obtineant, prout ante compillationem horum statutorum obtinebant.

LV. *De exactoribus et receptatoribus pecunie comunis, et eorum aprobatione, satisdatione et offitio.*

Nullus possit exactor vel receptor condempnationum, fodrorum, talearum vel alterius peccunie comunis Mediolani, eundo per civitatem et comitatum Mediolani exigendo, nisi prius fuerit ellectus et aprobatus per dominum Mediolani vel per offitium provixionum, et satisdederit ad cameram comunis Mediolani cum bonis fideiussoribus coram dominis sex, de fatiendo dictum offitium bene et legaliter, et de redendo bonam rationem comuni Mediolani et cuilibet alteri persone, et non possit ipse exactor seu receptor ire per comitatum ad exigendum ut supra, nisi habuerit in scriptis in quaternis nomina debitorum et quantitates et causas debitorum subscripta et subscriptas manu notarii offitii provixionum. Qui offitialis seu exactor cum fuerit reversus de ipso comitatu, teneatur eidem offitio provixionum in scriptis dare nomina debitorum, a quibus exigerit, et quantitates, ut videri possit quid exigerit vel non, et ne fraudem comittere possit in eius offitio. Et hec omnia et singula

servare teneatur quilibet exactor vel offitiallis, qui deputabitur ad predicta, sub penna librarum quinquaginta tertiolorum qualibet vice, qua contrafecerit; et duret eius offitium per menses sex et non ultra; et qui fuerit offitiallis per ipsum tempus vel partem ipsius temporis sex mensium, non possit nec debeat habere simile offitium nec aliud offitium in civitate nec comitatu Mediolani infra annos tres finito dicto offitio eius, sub penna librarum vigintiquinque tertiolorum pro qualibet vice, cuius medietas sit comunis Mediolani, et alia acusatoris; et quilibet possit acusare, et ultra privetur dicto offitio, et nullum sallarium habere possit, et si habuerit, teneatur restituere comuni cum penna dupli; et predicta de satisdatione et iuramento non vindicent sibi locum in iudice domini potestatis deputato ad exactionem, quia ipse iudex seu offitialis iurat, et dictus potestas satisdat pro se et pro tota eius famillia.

LVI. *De hiis qui non possunt habere partem condempnationum.*

Nullus filius, nepos vel alius agnatus vel cognatus vel familiaris nec domestica persona, que sit de famillia potestatis, vel alicuius iudicis vel offitialis comunis Mediolani, possit habere aliquam partem de aliqua condempnatione, que fieret per eius accuxam vel denuntiationem, sed in totum ipsa condempnatio perveniat in comune Mediolani; et si quis contrafecerit, pro condempnato habeatur ipso iure in duplum illius quantitatis, quae in eum pervenisset secundum illam condempnationem; cuius penne medietas sit comunis Mediolani et alia manifestanti illud delictum, et quilibet possit accuxare et manifestare.

LVII. *De offitialibus comunis Mediolani circhandis.*

Potestas et eius iudices et vicarius offitii provixionum possint, debeant et teneantur singullis tribus mensibus facere circhari ad cameram comunis Mediolani et ad iudices mallefitiorum et alibi omnes ponderatores monete et campsores comunis Mediolani, et carcerum custodes et alios offitiales comunis seu domini Mediolani, si receperint ultra quod recipere debent, vel fecerint contra formam ordinamentorum comunis Mediolani, vel omiserint facere ea que debent, et repertos culpabiles punire debent secundum formam statutorum comunis Mediolani, et ut melius fieri poterit; et si qui sunt offitiales, nisi illi qui ordinati sunt, eos removeant seu removere fatiant et condempnent in solidis sexaginta tertiolorum pro quolibet eorum, seu prout in ordinamentis reperiretur. Et hoc sub penna librarum L tertiolorum; et de predictis teneatur singulis tribus mensibus inquixitionem facere sub dicta pena.

LVIII. *De familiaritate comedendi et bibendi per potestatem et eius famílliam evitanda.*

Ad tollendum omnem suspectionem statuitur, quod potestas et iudices et millites et notarii et alii de sua famillia non possint nec debeant comedere nec bibere in civitate nec suburbiis civitatis cum aliqua persona secullari vel ecclesiasticha civitatis vel iurisdictionis Mediolani.

LIX. *De porta et ostiis potestatis et eius familie tenendis apertis.*

Potestas Mediolani teneatur et debeat curare et facere, quod porta hospitii, in quo moratur, et ostia

potestatis et iudicum et militum suorum stent aperta tota die, ita quod homines liberum habeant anditum ad ipsum potestatem et eius familiam, sub penna feudi sui librarum vigintiquinque tertiolorum potestati, et cuilibet iudici et militi librarum decem tertiolorum qualibet vice.

Idem habeat locum in quolibet forasterio exercente iurisdictionem pro comuni, excepto quod post nonam usque ad campanam de usanzia de post nonas possint tenere portas clausas.

LX. *De iurisdictione Vicarii dominationis in questionibus non suppositorum comuni Mediolani, que devolvuntur ad dominum Mediolani.*

Si contingat aliquas questiones, lites vel causas inter aliquos non suppoxitos comuni Mediolani devolvi ad dominum vel ad eius curiam per appellationem vel querellam vel rescriptum vel alio modo, quilibet ex vicariis dominationis possit audire, procedere, cognoscere et diffinire etiam sine aliqua comissione.

LXI. *De supplicatione porrigenda domino pro constituendo unum vel plures, qui supersint ad examinandum introytus et expensas comunis.*

Vicarius provixionum sub penna librarum centum tertiolorum sui sallarii teneatur pro comuni bono et utilitate publica supplicare domino Mediolani, quod ipse dignetur constituere unum vel plures de bonis, legalibus et diligentibus viris civitatis Mediolani, qui supersint et asistant ad videndum et diligenter examinandum introytus comunis Mediolani et expensas eiusdem, et qualiter expenditur peccunia comunis Mediolani, et qualiter laudantur

expense, quas continget fieri de avere comunis Mediolani, et qui solicite se gerat, ne fraus aliquo modo in avere comunis Mediolani comitti possit, et ne expense excedant introytus.

LXII. *Quod omni mense fiat ratio comunis Mediolani.*

Omni mense fiant rationes comunis Mediolani ad vicarium et offitium provixionum, presidentibus duodecim dominis et duobus ad minus de dominis sex camere; et hoc fiat cura et solicitudine vicarii offitii provixionum.

LXIII. *Quod fiant necessaria in brolleto.*

Per vicarium offitii provixionum et per dominos sex camere comunis Mediolani fiant seu procurentur fieri cum effectu necessaria prope brolletum, et prout dominis duodecim et dominis sex videbitur, et predicta fieri procurentur per predictos sub penna sacramenti et ultra librarum centum tertiolorum.

LXIV. *Quod solutiones comunis non fiant alicui sine precepto sigillato.*

Omnes solutiones et pagamenta, que de cetero fient per comune Mediolani alicui stippendiario Mediolani, fieri debeant de consensu et voluntate domini Mediolani seu vicarii provixionum et dominorum duodecim, et aliter non; et quod dicta pagamenta et solutiones non possint aliquo modo fieri, nisi prius sigillato precepto sigillo dominorum duodecim, et in libro poxito per notarium existentem apud dominos duodecim, ex quo dicta pagamenta fieri debeant.

LXV. *Quod nullus sibi ipsi satisfaciat de suo feudo sine scripto dominorum duodecim.*

Nullus per se ipsum de suo feudo recipiendo a comuni Mediolani sibi satisfatiat, sed a vicario et dominis duodecim scriptum sue solutionis recipiat.

LXVI. *De pensione domus non solvenda per comune Mediolani pro aliquo stipendiario.*

Per vicarium offitii provixionum comunis Mediolani nec per offitiales provixionum nec per aliquem iusdicentem in Mediolano non possit nec debeat fieri preceptum nec bulleta de solvendo aliquid pro pensione alicuius stipendiarii nec alicuius forasterii presentis nec futuri, sub penna librarum centum tertiolorum pro quolibet contrafaciente et qualibet vice.

LXVII. *De offitio collateralis deputati offitio stipendiariorum.*

Si contingat in aliqua questione, controversia vel lite vertente coram collateralli offitio stipendiariorum deputato peti per aliquam partium questionem committi suis expensis, teneatur ille collaterallis ipsam questionem comittere, facto prius depoxito sallarii sapientis per partem petentem, prout tassabitur per ipsum collaterallem.

LXVIII. *De pena iusdicentis vel magistratus salariati a domino vel a comuni petentis vel recipientis sallarium vel remunerationem aliam vel aliud in fraudem.*

Nullus iusdicens seu magistratus in civitate, comitatu seu districtu Mediolani sallariatus a domino vel a comuni Mediolani pro aliqua questione, causa, lite, vel controversia per eum cognoscenda, con-

sullenda aut diffinienda, sive ex offitio, sive ex comissione aut compromisso vel alio quolibet modo, nec pro cognitione seu executione vel exactione vel compillatione alicuius rei, cause, facti seu negotii, quod habuit cognoscere, compillare, exequi et explicare tam ex eius offitio, quam non, tam ex debito, quam alia qualibet occaxione obventa, quantum est persona publica, nec in quantum privata, que fuerint seu spectaverint vel tetigerint alicui comunitati, universitati vel singullari persone Mediolani vel districtus vel alterius civitatis, castri, loci, vel terre subdite dominio domini Mediolani, possit, debeat nec presumat per se nec per submissam personam petere, recipere, nec habere aliquod sallarium, premium, remunerationem nec retributionem nec aliquod aliud in fraudem huius statuti, sub penna sacramenti et restitutionis in quadruplum eius, quod per se vel submissam personam aliquo suprascriptorum modorum recepisset, extorsisset vel quomodolibet habuisset, et ultra librarum quinquaginta tertiolorum qualibet vice, qua contrafecerit vel contrafecisse reperiretur. Et de predictis quilibet iusdicens in civitate Mediolani habeat facultatem et bayliam inquirendi et procedendi, tam ex offitio, quam ad instantiam cuiuslibet instantis seu requirentis contra omnes et singullos, qui de premissis vel aliquo premissorum inculparetur, et eos condempnando secundum predictum modum, et condempnationes exigendo omnibus iuris remediis, reliquis statutis et provixionibus comunis Mediolani loquentibus de nullo accato vel lucro per iudices fiendo in suo robore permanentibus.

LXIX. *Qualiter potestas teneatur denegare protectionem suam et comunis Mediolani non subdito habenti questionem vel controversiam cum subdito iurisdictioni Mediolani.*

Si subditus iurisdictioni domini potestatis Mediolani velit movere aliquam causam, litem, questionem vel controversiam contra aliquem exemptum a domino archiepiscopo Mediolani [A], possit dictus subditus denuntiare dicto exempto, quod est paratus se et iura sua fatientia ad dictam causam, litem, questionem et controversiam comitere de iure dispositioni et arbitrio dominorum iurisperitorum de collegio iudicum Mediolani, quorum unus elligatur per ipsum subditum, quem nominet pro sua parte in ipsa denuntiatione; et quod ipse exemptus suum iurisperitum elligat et nominet infra quindecim dies; qua denuntiatione facta infra ipsos quindecim dies a die dicte denuntiationis, alius iurisperitus elligatur et nominetur per dictum exemptum pro sua parte, et in eos fiat compromissum infra ipsos quindecim dies de iure tantum, et quod compromissum duret quousque ipsa causa, questio, lis vel controversia fuerit diffinita, vel prout partes convenerint. Qui iurisperiti per ambas partes ellecti causam, litem, questionem vel controversiam dictarum partium examinent, diffiniant et determinent, secundum ius

A **Patet apertissime ex his verbis statuta ista, saltem ex parte, a Iohanne Vicecomite archiepiscopo et domino Mediolani condita et lata fuisse a. MCCCLI, cum sermo heic habeatur de simplici temporali iurisdictione. Licet vero eadem statuta correctioni postea subiacuissent, nihilominus quaedam antiquiorum loca in novum codicem inemendata vel novis temporibus reipublicaeque conditioni inopportuna irrepserunt.**

et prout inter partes convenerit; et si contingat ipsos duos iurisperitos non esse concordes, elligatur per ipsos duos iurisperitos tertius iurisperitus de numero confidentium dandorum in scriptis per ipsas partes; alioquin dicto exempto denegetur per dominum Mediolani et per dominum potestatem Mediolani et utriusque eorum vicarios et iudices et quoscumque alios iusdicentes in civitate et comitatu Mediolani omnis protectio et defensio domini Mediolani et potestatis et comunis Mediolani; et de hoc fiat crida publice ad schallas pallatii novi comunis Mediolani ex parte ipsius domini potestatis. Et nullus subditus domino potestati Mediolani possit cum ipso inire aliquem contractum nec quasi, nec aliquod commerzium; et si quid in contrarium factum fuerit, quatenus tenderet in dampnum vel preiuditium subditi domino et potestati et comuni Mediolani, nullius sit valoris et momenti; que exemptio et penna, de quibus supra fit mentio, habeat locum donec dictus exemptus suum fecerit compromissum, et compleverit [A] contenta in dicta denuntiatione.

Idem servetur in omnibus et per omnia, si quis subditus iurisdictioni domini potestatis et comunis Mediolani movere voluerit aliquam causam, litem, questionem vel controversiam contra aliquam universitatem exemptorum a domino archiepiscopo.

LXX. *De iurisdictione et offitio consullum iustitie Mediolani.*

Consulles iustitie Mediolani et quilibet eorum

A « adimpleverit » (*Cod.* B. 19).

habeant iurisdictionem in hiis, que sunt misti imperii et simplicis iurisdictionis, et possint ipsi et quilibet eorum decreta et auctoritates interponere in quacumque parte civitatis, districtus, diocexis, comitatus et iurisdictionis Mediolani.

LXXI. *De eodem.*

Consulles iustitie Mediolani [A] sint sex, quorum duo sint iurisperiti, et in absentia alterius ex eis consullibus possit alter ex eis consullibus presens vices alterius gerere; et duret eorum offitium per menses sex; et qui fuerit ipso tempore consul, non possit esse in sequentibus sex mensibus proximis; et habeant ipsi iurisperiti pro eorum sallario libras vigintiquinque tertiolorum, et layci libras duodecim tertiolorum in predictis sex mensibus pro quolibet eorum de avere comunis Mediolani, quibus fiat sollutio de mense in mensem, ut fit aliis offitialibus camere comunis Mediolani; et possint iurisperiti accipere de subscribendo auctoritates et decreta et sententias imperiales sex pro qualibet subscriptione et non ultra; et non possit alicui consulli comitti aliqua questio [B], vel in sotium assumi per aliquem consullem iustitie, etiam de voluntate partium, sub

A Galvaneus Flamma describens antiquorum consulum mediolanensium electionem, officia et iura, ita subdit: « Et sicut in » Roma x viri virtuosi regebant urbem, et a numero denario » dicti sunt decemviri, ita isti xii consules a numero dicti sunt » duodecim, quorum aliquale vestigium adhuc apparet in hac » civitate usque in presentem diem, quia aliqui officiales di- » cuntur duodecim; et habent speciale palatium in broleto » veteri, quorum officium est computus » (*Chron. maius*, cap. cvi).

B « Nota quod non potest comiti aliqua questio alicui consuli iu- » stitie » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II. 20).

penna comittenti et comissario librarum decem tertiolorum pro quolibet, et comissio non valeat nec assumptio.

LXXII. *De sacramento consullum iustitie.*

Consulles iustitie Mediolani teneantur ante introytum sui offitii iurare coram vicario offitii provixionum de exercendo offitium suum bene et legaliter, et faciendo bonam iustitiam et rationem cuilibet persone, et quod ascendent banchum horis consuetis diebus iuridicis, nisi iusta causa steterint impediti; et quod nichil recipient per se nec per submissam personam, nec lucrum vel accatum fatient pro aliqua audientia, pronuntiatione vel diffinitione, causa sui vel offitii, et quod non permittent aliquid peti nec exigi per aliquem notarium sui offitii ultra statuta; et si audiverit aliquem conquerentem de ipsis notariis vel aliquo eorum pro pagamento vel petitione pecunie vel impedimento, vel quia non posuerint scripturam in actis, vel ipsam scripturam non dederint expletam, quod eos punient et compellant ad solvendum; nec permittent eos stare ad banchum donec solverint; quod quidem executioni mandare possint, teneantur et debeant per sacramentum, et sub penna librarum vigintiquinque tertiolorum, in quam incurrant ipso facto; et quod curabunt et fatient cum effectu, quod notulla fiat per notarios suos de omnibus cridaturis, contumaziis, contradictionibus et confirmationibus, ita quod homines non decipiantur; et quod questionem non movebunt durante suo offitio sub aliquo ex alliis consullibus, nec audient notarios dicti officii nec servitores de aliquo iuditio contentioso, si denuntiatum fuerit;

et si contrafecerint, condempnentur in libris vigintiquinque tertiolorum, et teneantur ad interesse.

LXXIII. *De consulibus negotiatorum Mediolani.*

Dominus potestas et eius iudices et omnes exercentes iurisdictionem in civitate et comitatu Mediolani et quisque in totum teneantur et debeant dare auxilium et favorem consullibus merchatorum ad exigendum multas et pennas per eos indultas et impoxitas illis de sua sotietate.

LXXIV. *De honoribus, iurisdictionibus et iuribus comunis Mediolani recuperandis et manutenendis.*

Dominus potestas Mediolani et vicarius domini [A] Mediolani et domini sex camere et quilibet exercens iurisdictionem per tempora in civitate, comitatu, diocexi, districtu et iurisdictione Mediolani et quilibet eorum teneantur et debeant per sacramentum toto suo posse et offitii sui manutenere et defendere honores, iurisdictiones, castra, pontes, aquas et iura comunis Mediolani, et conservare ipsas iurisdictiones et honores et iura, et ad eos et eas recuperandos et recuperandas, si qua seu si que recuperari restant, que sint vel fuerint iurisdictionis, honoris aut iuris ipsius comunis, interponere omnem modum et viam, et operam dare et interponere, et recuperatas ipsi comuni manutenere et defendere; et etiam prohibere omnibus modis, ut ne quis iurisdictionis Mediolani nec alia quevis persona, dignitas, collegium vel universitas usurpet, habeat nec teneat

A. « dominorum » (*Cod.* B. 19). Hocce statutum existimo conditum tempore dominationis Luchini et Iohannis Vicecomitum (MCCCXXXIX, MCCCXLIX); re enim vera anno MCCCXLVIII statutorum collectio lata fuit.

iurisdictionem vel honorem vel ius comunis Mediolani contra iura in diminutionem privillegiorum vel iurium comunis Mediolani, nec ipsi comuni iniurietur; et operam dare toto suo posse et offitii sui, ut omnes iurisdictiones et honores, res et iura, rippe fluminum et aquarum, et ipsa flumina et pontes, qui sunt super ipsis fluminibus, qui et que sint comunis Mediolani, in comuni Mediolani sint et permaneant sine lexione aliqua; et hoc per omnes modos et vias, per quos seu quas melius fieri poterit, et contrafacientes punire et condempnare in avere et personis, vel avere vel persona tantum suo arbitrio, inspecta qualitate personarum et facti. Insuper teneantur et debeant servare et executioni mandare in favorem comunis et hominum Mediolani privillegia et iura ipsius comunis; quorum privilegiorum tenor talis est:

« Imperialis clementie mansueta serenitas eam semper in subditis favoris et gratie habere consuevit [A], etc. »

« Nos Romanorum imperator Federicus et filius noster Anrichus Romanorum rex concedimus vobis civitatibus et locis et personis etc. Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo tertio, indictione quinta etc. [B] ».

« In nomine sancte et individue Trinitatis: Federichus divina favente clementia Romanorum imperator Augustus. Preclare serenitatis nostre liberalis

A Mitto brevitatis gratia haec documenta exscribere, quorum aliqua iam non semel sunt edita, eaque tantum indicare liceat; studiosus lector adeat *Antiq. Ital.*, tom. IV, col. 307.

B *Antiq. Ital.*, tom. IV, col. 301.

benignitas et virtutum gratia prepollet etc. Actum anno dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo quincto, indictione tertia etc. Datum apud Regium .... tertio idus februarii etc. [A] ».

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus divina favente clementia Romanorum imperator Augustus. Imperatoriam mayestatem decet esse non solum legibus etc... Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo sexto, indictione sexta, regnante domino Federico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius trigesimo quarto, imperii vero eius XXX secundo. Datum in territorio cremonensi in destructione castri Manfredi, quinto idus iunii feliciter. Amen [B] ».

« Henricus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus. Universis sacri romani imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Totiens regie celsitudinis sceptrum extollitur altius etc. ... Datum Mediolani XIII kalendas aprilis anno Domini MCCCXI, indictione nona, regni vero nostri anno tertio [C] ».

LXXV. *Quod offitia, intrate, reditus, honores et exercitationes offitiorum et negotiorum comunis perveniant in comune Mediolani.*

Omnia offitia comunis Mediolani, et que umquam fuerunt in comune Mediolani, vel esse debuerunt vel debuerint aliquo tempore, et omnes introytus, reditus, proventus et honores et exercitationes offi-

A Puricell. *Ambros. Basil. Monum.*, num. 587.
B *Antiq. Ital.*, tom. eodem, col. 229.
C *Codex diplomaticus Italiae*, tom. III, P. I.

tiorum et negotiorum comunis Mediolani perveniant et pervenisse intelligantur et sint ipso iure in comune Mediolani, et comune Mediolani in eorum et earum possessione et quasi intelligatur et sit, et de eis respondeatur ipsi comuni et non alii nec aliter.

LXXVI. *De pontibus certarum aquarum manutenendis et defendendis.*

Dominus potestas teneatur manutenere et defendere pontes, qui sunt super Ticino, Abdua, Lambro et super aliis aquis, et castra comunis Mediolani [A].

A Officia seu tribunalia viarum, pontium aquarumque ad unum dux tempore procedente reduxit, ut ex eius patet decreto Ticini dato VI die octobris MCCCXCVI, quod hic sequitur: « Dux » Mediolani comes Virtutum etc. Ad allevationem expense » resultantis ex solutione duorum officialium deputatorum » super aquis, stratis et pontibus civitatis nostre Mediolani de» liberamus, quod dicta officia, que presentialiter divisa et duo » erant, amodo unita sint, et per unum officialem tantum ma» xime iurisperitum ministrentur. Itaque confisi plenissime de » prompta solicitudine, industria, legalitate et sufficientia diu » comprobatis viri sapientis dom. Thomasii de Colliis de Vigle» vano dilecti nostri, eumdem dom. Thomam iudicem et offi» cialem nostrum generalem aquarum, stratarum, pontium dicte » nostre civitatis eiusque ducatus cum salario florenorum vi» ginti auri in mense solvendorum et percipiendorum de primis » denariis, qui exigentur ex primis condemnationibus fiendis » per ipsum iudicem et officialem nostrum in officio predicto, » nec non iurisdictione, auctoritate, arbitrio, baylia, familia, » commoditatibus, utilitatibus consuetis, ordinatis hactenus, » per precessores suos licite habitis, perceptis exinde, serie » presentium omnes alios officiales supramemoratos ibidem » presidentes ex certa scientia revocando, ac ipsorum loco a » die XV presentis mensis octobris in antea usque ad sex menses » exinde proxime secuturos facimus, constituimus et deputamus. Mandantes etc.

(Ex Cod. Fagn. p. 50, v.° in Bibl. Ambros.)

LXXVII. *De iuribus Mediolani sitis in aliena iurisdictione defendendis.*

Potestas et vicarii offitii provixionum teneantur precise defendere omnibus modis iura, possessiones et rationes suorum comunium et ecclesiarum et clericorum civitatis et comitatus Mediolani sitas in aliena iurisdictione, sive in confiniis circumstantium civitatum et terrarum, et curare et facere pro posse, quod possessio ipsarum rerum et iurium restituatur, et in ea possessione manuteneantur.

LXXVIII. *De eodem.*

Potestas comunis Mediolani et vicarius offitii provixionum teneantur et debeant civibus et contadinis suis dare consilium et favorem ad sua credita et iura consequenda et habenda ab universitatibus et singullaribus personis castrorum et terrarum Italie et aliunde contra universitates et earum personas, que defecerint civibus et contadinis nostris vel alicui eorum in iustitia facienda, salvo semper statuto quod loquitur de denuntiatione facienda merchatoribus Mediolani, antequam laus [A] detur; quo servato, teneatur potestas procedere contra predictos ad dandum laudes et represalias, ac etiam eisdem remediis et auxiliis, quibus procederetur contra nostrates, si non servarentur eisdem extraneis Ytalie et aliunde.

A Nempe clarigatio, ital. *rappresaglia*, gall. *représailles:* deest haec vox in Gloss. Ducangiano, et omittitur etiam in recensione Henschelii; eius definitionem praebet auctor Breviloquii, dicens ea significari actionem, qua quis oriundus de una terra spoliatur vel damnificatur ab alio oriundo ab alia terra, vel etiam si non debitum solverit ei: tunc enim datur potestas isti spoliato, quod ei satisfaciat contra quemlibet in terra illa, unde est spoliator vel debitor.

LXXIX. *De ellectione gubernatoris librorum camere comunis.*

Elligatur per dominum Mediolani vel per vicarium offitii provixionum unus providus et discretus vir pro gubernando et gubernari fatiendo libros camere iuxta modum consuetum ad salarium comunis Mediolani.

LXXX. *De eodem.*

Iudices domini potestatis et omnes notarii teneantur et debeant in fine sui offitii penultima die sui offitii consignare camerario comunis Mediolani omnes cautiones coram eis expositas et factas ratione suorum offitiorum, et omnes libros et scripturas quaslibet, que facta fuerint in eorum offitiis per totum officium sui, in publico consilio comunis Mediolani.

Idem teneantur facere alii offitiales in presentia dominorum duodecim et dominorum sex camere comunis Mediolani.

LXXXI. *De eodem.*

Notarii dominorum sex camere teneantur et debeant dimittere et consignare gubernatori librorum comunis Mediolani securitates et omnes alias scripturas, quas fecerint tempore sui offitii, presentibus dominis sex camere.

LXXXII. *Quod certa offitia non vendantur, sed concedantur diligentibus personis.*

Offitia canzellariorum comunis Mediolani, qui modo sunt notarii ad offitium dominorum duodecim, et gubernatoris librorum comunis Mediolani, qui sunt ad cameram gubernatoris sive camerarii bannorum veterum camere pallatii, non vendantur,

sed concedantur diligentibus personis, quibus placuerit domino Mediolani.

LXXXIII. *De literis comunis registrandis.*

Omnes litere, que mitentur per comune Mediolani, scribantur et exemplentur in quaternis, in quibus nichil scribatur, et responsiones que fient per literas ab hominibus vel comunibus vel universitatibus alterius iurisdictionis; que omnes litere, que mitentur comuni Mediolani per homines vel comunia vel universitates alterius iurisdictionis comunis Mediolani, scribantur in aliis quaternis per canzellarios comunis Mediolani.

LXXXIV. *Quod fiant vesteria pro gubernandis libris et scripturis comunis Mediolani.*

Fiant vestarii seu armarii in circuitu camere comunis Mediolani et scripna pro scripturis et libris comunis Mediolani gubernandis et salvandis; et ubi est assezatum, fiat murus et hostium bonum, et totum dupliciter cooperiatur, et ita fiat, ita quod scripture sint salve et bene custodiantur et salventur; et predicta teneatur facere fieri vicarius offitii provixionum infra menses tres a publicatione presentium statutorum, sub penna librarum centum tertiolorum.

LXXXV. *Quod festum sancti Ambrosii honorifice fiat, ut fieri consuevit omni anno.*

Festum s. Ambrosii patroni huius civitatis omni anno per comune et rectores Mediolani honorifice et decenter fiat, ut hactenus fieri consuevit.

Quilibet cuiuscumque status et conditionis existat, teneatur et debeat honorifice celebrare omnes festivitates beatissimi et sanctissimi Ambrosii exhimii

et sacratissimi ac venerabilis doctoris sacrosancte romane ecclesie et dignissimi presulis, confessoris, patroni et piissimi defensoris huius alme urbis; et qui contrafecerit, preter iras et pennas celestes, quas a Deo expectet, pennam incurrat librarum vigintiquinque tertiolorum comuni Mediolani inferendam; et quilibet potestas, qui pro temporibus erit, tercia die ante festivitatem, tunc in populli civitatis et suburbiorum notitia voce preconia sub penna simili fatiat pervenire.

Oblationes pro infrascriptis festivitatibus fiant per comune Mediolani infrascriptis diebus quolibet anno, et dentur per comune Mediolani infrascriptis capitulis ut infra, videlicet:

Fratribus Servorum s. Marie pro festo suo, quod est die secundo februarii, libr. quinquaginta tertiolorum.

Fratribus de Carmello die xxv martii libr. quinquaginta tertiolorum.

Fratribus Predicatoribus ad s. Petrum martyrem die xxix aprilis libr. centum quinquaginta tertiol.

Fratribus s. Petri Celestini die xxix maii libr. quinquaginta tertiolorum [A].

Monasterio s. Dionixii die xxix mense maii pro festo s. Dionixii lib. quinquaginta tertiolorum.

Capitulo canonichorum s. Kalimerii pro festo suo die ultimo iullii lib. xxxii tertiolorum.

A « Fratribus s. Petri Celestini die xix maii pro festo s. Dionysii » libras quinquaginta tertiolorum.
» Fratribus minoribus pro festo s. Barnabe die xi iunii libras » quinquaginta tertiolorum » (*Cod.* S. Q. P. II. 20).

Pro festo s. Ambrosii die VII decembris fiat oblatio honorifice expensis comunis Mediolani.

Pro festo s. Ambrosii ad Victoriam de Parabiago die XXI februarii fiat oblatio honorifice per comune Mediolani.

Item fiat oblatio ad ecclesiam mayorem in festo s. Agnetis die XXI ianuarii.

Pro festo s. Marci celebrando dentur fratribus s. Marci die XXV aprilis libr. centum tertiolorum.

Et ipsi fratres et capitula teneantur dare palia et cereos suis expensis pro rectoribus, iudicibus et officialibus comunis Mediolani, et alias expensas ipsarum festivitatum facere.

Ad oblationem s. Benedicti fiat et observetur, sicut ordinatum est [A].

A Non omnes hic recensentur oblationes, quae fieri consuescebant: erat enim et oblatio hospitali peregrinorum s. Iacobi in porta vercellina facienda « in paliis, cereis et cereolis et aliis solemni» tatibus et caeremoniis, quae solent in huiusmodi oblationibus » in civitate Mediolani observari ». Ad ipsam interesse debebant « dom. potestas et alii officiales communis Mediolani, qui per » tempora praesidebunt, et collegia artium seu artifices civitatis » et suburbiorum Mediolani cum paliis, prout moris est in » talibus; qui etiam artifices soliti offerre ad alias oblationes » Mediolani offerre debeant altari praedicto etc. ». Oblatio haec instituta est a. MCCCXCI, peregrinis illius hospitalis exorantibus, ut victoria celebraretur biennio praecedenti acta a Io. Galeatio Vicecomite contra francorum agmina a comite Armagnacci ducta. Aliae praeterea oblationes fiebant ad ecclesiam s. Antonii in eius die festo, ad quam deferebantur duo pallia valoris XXV florenorum auri, collegiis et artium societatibus universis intervenientibus, atque ad s. Petrum monachorum Caelestinorum libras LXXV, ac postea C deferentibus; aliaeque plures magis ex consuetudine quam ex lege, ut erant ad templa D. Iohannis Decollati prope excisas Turrianorum domos, vulgo *alle case rotte*, et D. Iohannis evangelistae, vulgo *alla Conca* delatae, etc. Aliquando oblationes commutabantur ex una in aliam rem; et

LXXXVI. *De confanono dando fratribus cruciferorum.*

Cum antiquitus per comune Mediolani, propter benefitium factum per quemdam ex fratribus hospitalis cruciferorum comuni et hominibus Mediolani tempore guerre [A], factum sit et datum dictis fratribus quolibet anno infradictum confanonum in memoriam dicti benefitii et honorem comunis Mediolani, ad hoc ut benefitii recepti semper fiat memoria, statuitur quod per comune Mediolani et ad expensas comunis fiat omni anno fratribus cruciferorum Mediolani confanonum unum, ut moris est, cum campo albo et cruce rubea ad arma comunis Mediolani, quod portari debeat ad letanias;

hoc loco praesto est decretum, quo scholae s. Mariae Abbiati, cui per communitatem Mediolani oblatio pallii fiebat in festo s. Mariae septembri mense, huius pretium e contra daretur pro templi reparatione: « Sapienti ac prudentibus viris dom. Vi» cario et duodecim Provisionis ac sindicis communis Medio» lani dilectis nostris. Ducissa Mediolani etc. Comitissa Vir» tutum. His inclusam dirigimus vobis supplicationem nobis » porrectam pro parte scholarium ecclesie s. Marie terre nostre » Abiatis, super cuius effectu respondentes sic dicimus, quod » contentamur et placet nobis quod de offertorio, quod fieri » debet in festo s. Marie, quod celebratur de mense septembris » futuri, respondeatur presidentibus laborerio ecclesie memo» rate in pecunia, dummodo in opus ipsius ecclesie conver» tatur et non in aliam causam. Dat. Papie die XXIII augusti » MCCCXCVI etc. » *(Ex Reg. Litt. Duc. n. 2, f. 202).*

A Censent Iulinius ac Fumagallius illum fuisse monachum hunc ordinis Cruciferorum (quorum coenobium et hospitale iam Mediolani exstabat a. MCLII), qui in veteri sculptura olim in antiqua porta romana super fossatum inserta exprimitur nomine fratris Iacobi vexillum et crucem gestantis, et mediolanenses ab exilio a. MCLXXI revertentes praecedens reducit, monachali habitu revera indutus. Fortasse is extorres cives post urbis cladem collegit et ad patriae instaurationem incitavit (*Mem. di Mil.*, lib. LXXIV; *Vic. di Mil.*, § 35).

et quod canevarii comunis Mediolani per dies octo ante tempus letaniarum cuiuslibet anni teneantur et debeant emere dictum confanonum pulcrum et suffitiens, et illud dare dictis fratribus, ad hoc ut de ipso facere possint ut consueverunt.

LXXXVII. *Quod nullus capiatur nec derobetur reverentia festivitatum.*

Nullus capiatur nec derobetur pro aliquo debito publico nec privato per dies octo ante vel post festum nativitatis Domini et festum resurrectionis Domini; et si quis captus fuerit ante illos dies octo, relassetur, prestita satisdatione de revertendo ad carcerem in fine ipsorum octo dierum cum bono fideiussore; et si quis faceret aliquem capi vel derobari pro aliquo debito publico vel privato infra illos octo dies ante vel post illas festivitates, condempnetur in libris decem tertiolorum et teneatur eum facere relassari a carceribus, et pignora robata restituere suis expensis; et de hoc sit executor quilibet ex vicariis dominationis Mediolani, et etiam vicarius domini potestatis Mediolani et quilibet eorum.

LXXXVIII. *De opera danda quod negotiatores et negotiationes tute possint venire et duci ad civitatem.*

Potestas et vicarius et offitium provixionum et quilibet eorum teneantur et debeant precixe dare operam omnibus modis, quod negotiationes et negotiatores possint tute ire et redire et duci ad civitatem et per civitatem et districtum Mediolani et extra, tam per lacum mayorem et Ticinellum, quam per alias quascumque aquas et per terram

libere et omni impedimento cessante, dum per hoc non impediatur solutio datiorum comunis Mediolani, ubi solvi seu exigi debebunt.

LXXXIX. *De opera danda quod ferrum, negotiationes et victualia secure ducantur versus civitatem et comitatum Mediolani.*

Dominus potestas et vicarius et offitiales provixionum et quilibet eorum teneantur dare operam cum effectu, quod ferrum et azarium et carbones et bladum, vinum, lignamen et ligna cetereque negotiationes et victualia secure trahantur et ducantur undecumque versus comitatum et versus civitatem Mediolani, tam per terram quam per aquam, et non depredentur nec derobentur per aliquem, ex quo erunt super districtu comunis Mediolani, ipsis venientibus versus civitatem Mediolani; ita quod conductoribus licitum sit eas mercadanzias et res tute et libere conducere, prohibitione vel impedimento omni cessante, ad hoc ut civitas, cui alie respondent et in quam alie civitates confluunt, sit fertilis et habundans et ubertate fungatur.

XC. *Quod nullus impediatur certis diebus merchati.*

Aliqua persona non possit nec debeat capi nec detineri nec aliter molestari modo aliquo in persona nec rebus pro aliquo debito publico vel privato nec concessione aliqua in brolleto novo comunis Mediolani, nec in civitate nec in comitatu Mediolani, in diebus dominicis vel festivis apostolorum nec beate virginis Marie, nec in diebus nundinarum, que in civitate vel comitatu Mediolani fiunt, nec in terris ubi fiunt nundine, nec in diebus

merchati, scilicet in die veneris, in civitate Mediolani et suburbiis civitatis, et in aliis diebus merchati in comitatu Mediolani, scilicet in illis burgis et locis, ubi fiunt merchata, nec illi de burgo Modoetia [A] in die martis in civitate Mediolani, nec aliqua persona alicuius burgi vel loci, cassine vel molandini possit nec debeat detineri aliquo die in civitate Mediolani pro debito sui comunis, dum reperiatur suum comune satisdedisse ad cameram comunis Mediolani; et hoc nisi fuerit ad petitionem illius, qui fuerit eius fideiussor, et hoc in ipsis terris, ubi fuerint nundine seu merchata, et etiam veniendo, stando et redeundo ad ipsas terras vel ab ipsis terris vel earum ipsis diebus; et si contra factum fuerit per aliquem exercentem iurisdictionem vel ad petitionem alicuius singullaris persone seu universitatis, ipso iure nullum sit et cassum; et quod quilibet iusdicens, qui contra predicta vel aliquod predictorum fecerit, condempnetur in libris quinquaginta tertiollorum, et ille ad cuius petitionem contrafactum fuerit, in libris vigintiquinque tertiolorum, et ad restitutionem dampni cum expensis et servitorum in libris decem tertiolorum. Et predicta non vendicent sibi locum in bannitis de maleficio et inimicis comunis Mediolani; et quilibet possit accusare et habeat medietatem; et dominus potestas et iudices eius et quilibet eorum de predictis possint, debeant et teneantur inquirere et condempnare ex offitio; et quod nullum datum

A « Vide super hoc decretum concessum terre et hominibus Modoetie » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II. 20).

fiat contra predicta vel aliquod predictorum, et si contra factum est vel fiet, non teneat. Et hoc statutum sit precixum et firmum, ipsis datis vel dato non obstantibus.

XCI. *Quod nullus impediatur in brolleto.*

Cum brolletum novum et vetus comunis Mediolani debeant esse loca tutissima, et aliquando contingat aliquem in aliquo ipsorum locorum velle detineri, qua occaxione risse, mischlanzie et rumores fiunt, que non fiunt absque periculo status hominum Mediolani; ad removendum omnes rumores et pericula [A], et quod ipsa loca sint, et ut esse debent, loca tutissima, statuitur quod aliquis iusdicens in civitate Mediolani non debeat capere vel detinere, nec capi vel detineri facere, nec parabulam capiendi vel detinendi alicui concedere in aliquo predictorum locorum pro aliquo debito publico vel privato vel concessione aliqua sub penna librarum quinquaginta tertiolorum qualibet vice; et si quis in aliquo predictorum locorum caperetur et de facto ad carceres duceretur, non possit per aliquem contestari nec impediri modo aliquo per aliquam personam, collegium vel universitatem, sed statim a dictis carceribus rellassetur et in statum pristinum libere reducatur, omni exceptione remota.

Idem servetur et locum habeat in quocumque casu, in quo captio non tenet.

A « Vide super hoc cridam, per quam inhibitum est quod quis possit capi in confinibus brolleti, que confinia ibi sunt declarata in decretis » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II. 20).

XCII. *Quod scolares et certi alii adiscentes non impediantur.*

Quilibet civitatis et comitatus Mediolani et aliunde undecumque sit, possit libere stare et morari in civitate et burgis coniunctis in studio et pro studio legum, decretalium, fixice, cilorgie, tabellionatus, et pro adiscendo scribere et cuiuslibet artis liberalis, absque eo quod possit capi pro aliquo debito publico vel privato, nisi ille fuerit principaliter nominatus et obligatus in debito, pro quo caperetur; et hoc non obstante aliquo dato, facto vel fatiendo per comune Mediolani.

XCIII. *Quod nullus trahatur de domo vel ecclesia.*

Nullus in civitate Mediolani vel suburbiis vel in comitatu de domo habitationis sue aut ecclesia trahatur pro aliquo debito publico vel privato; et si contra fieret, non valeat, et contrafatiens condempnetur in libris decem tertiolorum, et captus relassetur expensis contrafatientis.

XCIV. *De testamentis registrandis ad cameram pro elimoxina et relictis ad pias causas.*

Cum multe elimoxine sint subtracte propter amissionem testamentorum et ultimarum voluntatum hiis, quibus hactenus sunt legate, statuitur quod omnes notarii civitatis et comitatus Mediolani teneantur et debeant omnia testamenta, codicilos et ultimas voluntates, in quibus pro elimoxina seu ad elimoxinam aliquid sit relictum, de quibus tradiderint instrumenta, infra mensem unum post mortem legantis seu ordinantis pro elimoxina presentare dominis sex camere, qui ad cameram comunis Mediolani per tempora fuerint, quantum ad punctum

illius talis legantis suprascriptum punctum, et ad ipsam cameram facere registrari teneantur, et ipsi domini sex ipsum punctum facere registrari teneantur; dictique domini sex teneantur et debeant modis omnibus suo posse dare operam efficacem, quod omnia testamenta, codicili et ultime voluntates, in quibus hactenus pro elimoxina aliquid est relictum, perveniant ad eorum notitiam, omnia in puncto illo fatiant registrari, et dent operam suo posse, quod ipse elimoxine fiant et dentur secundum dispoxitionem defunctorum.

Eodem modo fiat de relictis certis personis pro uxuris vel male ablatis vel dampnis datis restituendis.

Notarii, qui erunt offitio testamentorum vel aliis offitiis, non possint nec debeant aliquid erigere ab aliquibus notariis, qui testamenta vel aliquam partem eorum deferrent vel in scriptis darent, pro legatis vel relictis ad pias causas, nec ab aliquibus comunibus, consulibus vel offitialibus aliquorum burgorum, castrorum, locorum vel aliarum quarumcumque universitatum, pro delatione seu notificatione talium legatorum vel relictorum.

Item ad instantiam dictorum notariorum vel alicuius alterius persone non citentur alique singulares persone pro aliquibus legatis relictis certis locis vel universitatibus seu singullaribus personis, nisi ad instantiam eorum, quorum interest.

Potestas Mediolani sub debito sacramenti et penna librarum centum tertiolorum sui sallarii, teneatur primo mense sui regiminis supplicare reverendo patri domino archiepiscopo, qui nunc est et pro

temporibus erit, quod ei placeat et dignetur cogere et cogi facere per se vel per suos vicarios quoslibet abbates, prepoxitos, priores, archipresbiteros, archidiaconos et quoscumque rectores et administratores quorumcumque monesteriorum, hospitalium, canonicharum et aliarum ecclesiarum secularium et regullarium, et alias quascumque personas, et quelibet comunia et universitates ecclesiastica et secularia, cuiuscumque sexus fuerint, ad dandum in scriptis per sacramentum et sub penna excommunicationis et ultra, prout placuerit eidem domino archiepiscopo vel eius vicariis, omnes elimoxinas perpetuas vel etiam temporales, quas facere tenentur, narrando per quem vel quos ordinate fuerint, et super quibus possessionibus vel reditibus, vel quomodo et qualiter fuerint ordinate, et per quos notarios instrumenta sunt confecta, si exinde constant publica instrumenta; et quod sic registrentur in libris membranarum [A] camere archiepiscopalis, et in libris membranarum [B] camere comunis Mediolani, et secundum quod fuerint registrate, omnibus modis executioni mandare. Et eodem modo, ut supra, teneatur potestas supplicare, ut supra, quod reverendus pater dominus archiepiscopus, qui nunc est et pro temporibus erit, dignetur partes suas interponere, quod predicta et quodlibet predictorum fiant et executioni mandentur per exemptos. Insuper dictus dominus potestas, ut supra, teneatur supplicare, ut supra, quod prefatus

A « imbreviaturarum » (*Cod.* B. 19).
B « imbreviaturarum » (*Ibid.*).

reverendus pater dominus archiepiscopus, qui nunc est et pro temporibus erit, dignetur facere fieri inquixitionem de bonis fortune et facultatibus hospitalium civitatis et comitatus Mediolani, et secundum possibilitatem congruentem tassare eis infirmos et pauperes, et iuxta hanc tassationem sub penna excommunicationis et ultra, prout placuerit prefato reverendo patri domino archiepiscopo, teneantur manutenere in alimoniis et victu et aliis suis necessitatibus infirmos et pauperes. Preterea predictus dominus potestas teneatur supplicare, ut supra, quod prefatus dominus archiepiscopus, qui nunc est et pro temporibus erit, dignetur tassare et tassari facere elimoxinas fiendas pauperibus et egenis personis per quaslibet domos religioxas pro rata fortunarum et facultatum cuiuslibet religioxe domus; que elimoxine sic tassate sub penna excommunicationis, et ultra, prout videbitur [A] prefato domino archiepiscopo, fiant temporibus quadragesime et carastie et aliis temporibus, quibus necessitas subveniendi pauperibus et egenis occurrit.

XCV. *De predicationibus et elimoxinis et instrumentis, que fieri debent singulis annis pro festo s. Benedicti.*

Vicarius provixionis, sub penna librarum centum tertiolorum, teneatur quolibet anno facere observari et executioni mandari ea, que fieri debent per comune Mediolani et homines Mediolani de predicationibus et elimoxinis s. Benedicti, iuxta formam et tenorem litterarum apostolicarum, et de hoc facere

A « placuerit » (*Cod.* B. 19).

fieri publica instrumenta, et facere registrari ad cameram comunis Mediolani et ad offitium statutorum.

XCVI. *De illis qui debent ire per civitatem ad inquirendum pauperes.*

Per vicarium offitii provixionum eligantur sex viri de hospitalibus vel de ordine certi ordinis vel de anzianis hospitalis quatuor Mariarum, prout videbitur pro meliori, qui quotidie vadant per civitatem et suburbia, et qui inquirant et colligant pauperes infirmos origenarios civitatis et comitatus Mediolani, euntes vel mendicantes et aliter quam per elimoxinam vivere non valentes, et prout videbitur predictis viris, eos reducant ad hospitale, ubi serviatur eis in necessitatibus et opportunis, prout congruet, secundum facultates et possibilitates hospitalium.

XCVII. *De servitoribus dominorum duodecim et vicarii domini Mediolani sive credenzie, et eorum salariis.*

Servitores dominorum duodecim sive quatuor servitores domini et comunis Mediolani sive credenzie sint sex, qui omnes habeant pro quolibet eorum salarium imperiales sedecim in die; ex quibus aliqui iaceant in curia, prout vicario curie videbitur.

XCVIII. *De servitoribus domini potestatis et iudicum maleficiorum, et eorum salario.*

Servitores maleficiorum sint sex, alii servitores potestatis sint sex [A], ex quibus aliqui iaceant in

[A] Numerum habitumque servitorum communitatis designat ducale decretum XIX die octobris datum Mediolani a. MCCCXCVII, quo quidam Antonius de Cruce recensetur « numero servitorum

broleto, prout placebit domino potestati, et habeant pro quolibet soldos duos tertiolorum in die.

XCIX. *Quod liceat cuilibet mittere quemlibet servitorem, etiam si non sit de servitoribus malefitiorum.*

Liceat cuilibet mittere quemlibet servitorem, licet non sit de servitoribus maleficiorum, ubi necesse fuerit, pro requirendo et pro parificando et alia fatiendo, que facere possent servitores malefitiorum, mandato tamen iudicis malefitiorum; et quod iudices malefitiorum presentes et futuri teneantur dare et concedere requestas et precepta quelibet aliis etiam servitoribus malefitiorum, sub pena librarum vigintiquinque tertiolornm cuilibet iudici qualibet vice.

C. *De servitoribus offitii datiorum.*

Servitores offitii datiorum sint tres, et habeant pro quolibet sol. duos tertiolorum in die.

CI. *De servitoribus offitii dampnorum datorum.*

Servitores offitii dampnorum datorum sint duo, et habeant pro quolibet soldos duos tertiolorum in die, que omnes solutiones fiant dictis servitoribus de avere comunis Mediolani; et teneantur ipsi omnes servitores et quilibet eorum facere gratis et sine alia solutione omnes citationes et ambasiatas, que fierent pro factis comunis Mediolani, et etiam super inquisitionibus et etiam super accuxis eorum qui non possent solvere, et item omnia que fieri debent per eos in ipsis suis offitiis pro comuni Mediolani, sub pena librarum xxv tertiolorum; et

» comunis Mediolani de induentibus vestas seu divisas albi, » rubei viridisque, qui esse dicentur numero viginti unus etc. »

compellantur per iudicem suum vel alium observare et facere predicta, et teneantur ipsi servitores iurare coram vicario offitii provixionum de offitio suo bona fide exercendo, et servando statuta et ordinamenta comunis Mediolani, et parendo mandatis sui iudicis [A].

CII. *Quod nullus servitor salariatus habeat aliquid pro custodia, nisi steterit de nocte.*

Nullus servitor, qui habeat salarium a comuni Mediolani, pro custodia quam fecerit de aliqua persona vel personis aliquid accipere presumat, nisi pernoctaverit in ea custodia.

A De servitoribus novum edictum post haec statuta edidit dux Mediolani his verbis: « Dux Mediolani etc. comes Virtutum etc. » Conquesti sunt nobis incantatores notariarum pallatii novi » comunis nostri Mediolani, datiorum, iudicis victualium, gubernationis pignorum vetitorum et dampnorum datorum, quod » per nova statuta dicte nostre civitatis in kallendis martii » proxime preteriti publicata, talis contra servitores innovatio » facta est, videlicet quod servitores ipsi tenentur sub certa » pena certam et de novo prestare satisdationem, et certa alia » ultra solitum facere circa eorum officium exercendum, precipue circa relationes et alias exequutiones per eos fiendas, » pretendentes dicti incantatores innovationem huiusmodi factam esse contra formam venditionis et pactorum suorum. » Proinde ut ipsis incantatoribus iuste querele materia minime » relinquatur, intentionis nostre est et volumus, quod statuta » tangentia ipsos servitores ac officia notariarum predictarum » suspensa sint et in suspenso teneantur usque ad novos incantus, et quod interim serventur et practicentur statuta » huiusmodi per illam formam illumque modum, per quam et » quem ante dictam publicationem servabantur; mandantes » ideo vobis quatenus hanc intentionem nostram servari faciatis, et de ea fieri preclamationes in locis quibuslibet opportunis tam dicte nostre civitatis quam comitatus eiusdem. » Datum Mediolani, die x aprilis MCCCXCVI. »

(*Ex Reg. Litt. Duc. n.* 2. *f.* 190).

CIII. *De offitio dominorum sex camere comunis Mediolani.*

Sint domini sex camere, in quibus sint duo de collegio iudicum Mediolani, et quatuor boni et discreti viri, qui presint omnibus rationibus et defensionibus comunis Mediolani.

CIV. *De eodem.*

Eligantur per dominum Mediolani sex, qui stare debeant ad cameram comunis Mediolani, videlicet unus pro porta, inter quos sint duo iudices collegii Mediolani, et alii layci, qui sint maiores annis vigintiquinque; qui domini sex habeant pro suo salario, videlicet iudices solidos octo tertiolorum, et layci soldos quinque tertiolorum pro quolibet eorum in die; et si iverint extra civitatem, solidos viginti tertiolorum, si pernoctaverint, et si redierint, tantum soldos quindecim tertiolorum, computato salario; et nullum aliud acatum fatiant ratione dicti offitii, et non possit aliquis ex ipsis iudicibus durante offitio illo consequi nec habere aliquod aliud lucrum nec acatum ratione seu occaxione alicuius comissionis vel examinationis, petitionis vel declarationis alicuius dubii, quod esset vel oriretur occaxione ipsius offitii, et teneantur et debeant curare cum effectu, quod statuta et ordinamenta comunis Mediolani serventur per iudices, notarios et offitiales in civitate et comitatu Mediolani, et de ipsis fatiant diligentem inquisitionem; et habeant iurisdictionem compellendi predictos iusdicentes, notarios et offitiales servare ipsa statuta et ordinamenta, et condempnandi eos et fatiendi exigere condempnationes, prout condempnaverint

secundum negotii qualitatem; et teneantur et debeant in initio sui regiminis et singulis octo diebus precipere et inhibere canevayrolis super camera existentibus, ne aliquid de avere comunis Mediolani expendant, nisi in presentia duorum ex dominis sex, sub pena qualibet vice soldorum centum tertiolorum, que pena sit ipso facto comissa sine aliqua condempnatione, quotiens contra factum fuerit; et nichilominus id quod reperiretur per eos expensatum contra predicta, non ponatur in expensis per comune Mediolani, et durent per tres menses tantum, et qui fuerit tribus mensibus, non possit esse ad dictum offitium infra annos duos inde sequentes; et antequam incipiant suum offitium, teneantur et debeant predicti domini sex iurare coram vicario offitii provixionum, quod fatient offitium suum bona fine sine fraude, et omnia que spectant ad offitium suum, et quod non fatient nec fieri permittent per se vel per submissam personam aliquod acatum vel lucrum ultra dictum feudum; quo sacramento prestito, offitium suum incipiant, et ex tunc stent horis consuetis ad dictum offitium; et qui domini sex teneantur et debeant infra duos menses ab introytu sui offitii una cum assessore domini potestatis Mediolani inquirere contra precedentes dominos sex, canevarios et canevayrolos, sindichos, superstantes factos tesaurerios, campsores, receptores, expenditores averis comunis Mediolani et alios offitiales medii anni preteriti ante eos, et finire processus omnium predictorum et singulorum infra duos menses a tempore incepti sui offitii, et inquirere

si portenarii vel custodes portarum civitatis vel datiarii vel traverserii abstulerint vel receperint vel extorserint aliquid indebite; et si custodes stratarum et rerum interdictarum et custodes seu soldatarii domini potestatis Mediolani seu comunis Mediolani vel alii offitiales aliquid receperint ab aliquibus comunibus burgorum, locorum vel ab aliquibus singularibus personis vel ab aliqua alia universitate, occaxione lignorum vel raparum vel utensilium domus vel aliqua alia occaxione, ultra id quod concessum est eis; et si servitores eundo per comitatum aliquid receperint ab aliquibus comunibus burgorum et locorum vel aliquibus singularibus personis, ultra id quod debent habere; et etiam teneantur infra octo dies ab introytu sui regiminis facere cridari per civitatem Mediolani, si aliquis vult dicere contra illos offitiales et personas et omnes, quos invenerint fraudem vel contra offitium suum comixisse vel fecisse, vel contra predicta vel aliquod predictorum fecisse, teneantur eos et quemlibet eorum infra quindecim dies condempnare absque aliquo processu in quadruplum comuni Mediolani de omni eo, quod reperiretur eos vel alterum eorum recepisse vel habuisse in fraudem sui offitii, vel contra formam iuris vel statutorum comunis Mediolani; et nichilominus ad restitutionem dampni et dampnum passo. Et quod predicti domini sex teneantur procurare, quod omne id quod debetur et debebitur comuni Mediolani quacumque occaxione, in comune Mediolani perveniat; et quod teneantur procurare quod pontes, qui tenentur super stratis mastris vel in alia parte, indigentes refectione,

quorum refectio comuni Mediolani pertineat, refitiantur quam citius esse poterit, et ipsos refectos retinere, et idem curare teneantur de stratis reaptandis tam in civitate quam comitatu, et aliis pontibus qui debent fieri seu reaptari per aliquas singulares personas, collegia vel universitates, per quas aqua duceretur vel alio modo; et quod teneantur duo ex eis ad minus semel in mense, et etiam plus si necesse fuerit, ire foras ad circhandum pontes et stratas pro eis reaptandis et videndis, sub pena librarum centum tertiolorum pro quolibet ipsorum; et non possint comunia burgorum et locorum et terrarum comitatus Mediolani aliqualiter molestari occaxione refectionis stratarum, nisi quatenus fuerit deliberatum per ipsos dominos sex vel mayorem partem eorum; et potestas vel vicarius suus teneatur debito sacramenti inquirere contra predictos omnes et singulos, si in predictis vel aliquo eorum fuerint negligentes, et eos punire et condempnare ut supra. Preterea debeant procurare, quod potestas fatiat bonam satisdationem per duos menses ante finem sui regiminis in conscilio mayori, de stando ad sindicatum et de solvendo totum id, unde condempnaretur ipse vel eius familia seu aliquis eorum, et debeant ipsi vel duo ex ipsis ad minus quolibet mense cerchare seu cerchari facere, si dominus potestas habet totam suam familiam et omnes equos et stipendiarios, quod habere debet, et eos presentialiter numerare; et teneatur curare, quod potestas et vicarius provixionum mittant de sua familia ad cerchandum pontes de Viglevano et Melegnano et de Cassano et de Vaprio, Leucho,

Setezano, Trizio et rochetam de Leucho, et alias quascumque fortilizias comunis Mediolani; et si aliquid deficeret, procurent defectum suppleri secundum formam statutorum comunis Mediolani. Qui domini sex debeant denuntiare eadem die vel sequenti offitio provixionum comunis Mediolani defectum, quem invenerint in familia dicti domini potestatis vel in aliquo predictorum, et retinere de salario potestatis penas impoxitas dicto potestati, si in predictis fuerit defectus, videlicet pro quolibet iudice non invento libr. decem tertiolorum qualibet vice, pro quolibet milite soldos centum tertiolorum, pro quolibet domicello soldos sexaginta tertiolorum, pro quolibet schutifero soldos viginti tertiolorum, pro quolibet soldaterio equestri soldos centum tertiolorum, et pedestri soldos quadraginta tertiolorum, et quolibet sonipede libras decem tertiolorum, pro quolibet alio equo soldos centum tertiolorum, et hec pro quolibet et qualibet vice; et quod predicti domini sex debeant curare omnibus modis quibus poterunt, quod omnia iura, iurisdictiones et honores pertinentia et pertinentes comuni Mediolani, seu que reperirentur scripta ad cameram comunis Mediolani vel in privilegiis vel statutis ipsius comunis Mediolani, et bona ipsius comunis Mediolani perveniant in ipsum comune, et observentur totis viribus in comune Mediolani toto posse; et debeant procurare omnibus modis, ne fraus aliqua committatur in bonis et rebus vel iuribus spectantibus, vel que spectare debebant comuni Mediolani. Et quod ad reaptationem stratarum civitatis et comitatus Mediolani et pontium presit

offitialis deputatus et in futurum deputandus super offitio stratarum, qui debeat procurare et facere cum effectu, quod predicte strate et pontes reaptentur et refitientur, et ita quod ad minus quolibet anno fatiat reaptari stratas duarum portarum Mediolani, ubi magis necessarium et opportunum fuerit, et facere fieri debeat de mensibus martii, aprilis et maii cuiuslibet anni et non alio tempore; et quod predicti domini sex curent et faciant cum effectu, quod turres et porte civitatis cooperiantur et cooperte et aptate teneantur, et quod pontes portarum et etiam pusterlarum, si contingat eas aptari et aperiri et eis posse uti, reaptentur et reaptate manuteneantur, et fiant porte civitatis ubi desunt, et quod strate nec pontes aliquo modo non possint dari fagiariis ad refitiendum, et quod non possint dari alique concessiones occaxione dictarum stratarum et pontium, sed omnibus modis et remediis iuris compellantur etiam domus et universitates et homines, qui et que tenentur ad refectionem pontium et stratarum, ipsos et ipsas reficere temporibus congruis, et si que concessiones darentur ipsis occaxionibus, non valeant nec teneant ipso iure.

Potestas Mediolani et domini sex camere et quilibet eorum amodo teneantur inquirere, prout melius et subtilius et velotius poterint, omnes homines et singulares personas civitatis et comitatus Mediolani, et comunia burgorum et locorum, cassinarum, et molendinorum, qui vel que habent vel habebunt, tenent vel tenebunt aliquid pertinens comuni Mediolani, et qui vel que dare vel tenere vel facere aliquid debent vel debebunt comuni Mediolani, tenentur

vel tenebuntur aliqua occaxione, et ipsas singulares personas et comunia et universitates compellere omnibus iuris remediis ad dimittendum, restituendum et dandum et solvendum et fatiendum et obediendum ipsi comuni omne et totum id, quod ipsi comuni dimittere et restituere, dare et solvere, obedire et facere tenentur et tenebuntur omnes personas et homines, ubicumque sint, dictorum burgerum, locorum, cassinarum et molendinorum et universitatum, qui et que tunc temporis, quando debitum fuit scriptum, habitabant in eo burgo, cassina vel molandino, capere et robare, et captos et detentos retinere, donec satisfecerint partem sibi contingentem, et pervenerint ipsis potestati et dominis sex et comuni. Et hoc sub pena quingentarum librarum tertiolorum de eorum salario.

CV. *Quod fiant duo libri pro nominibus stipendiariorum scribendis.*

Vicarius provixionum una cum dominis duodecim ac domini sex debeant habere singulos libros, in quolibet quorum scribantur omnia nomina stipendiariorum comunis Mediolani equestrium et pedestrium, et in quolibet eorum librorum scribatur soldum sive stipendium cuiuslibet stipendiarii comunis Mediolani, et non possit aliquis stipendiarius habere soldum sive stipendium, nisi fuerit scriptus in quolibet ipsorum librorum, et omnes defectus scribantur in quolibet dictorum librorum, et etiam note, page, pacta et conventiones, que fierent occaxione dictorum stipendiariorum; ita quod si sechus reperiatur, non fiat solutio dictis stipendiariis, qui sechus reperirentur scripti; et

quod ad quamlibet receptionem et monstram fiendam singulis mensibus ante solutionem dictorum stipendiariorum in civitate adsit nuntius dictorum dominorum duodecim et dominorum sex cum libris eorum; et si monstra fuerit extra civitatem Mediolani, relationes eorum defectuum scribantur in quolibet dictorum librorum.

CVI. *Quod nullus recipiatur ad stipendium comunis Mediolani, nisi in presentia dictorum offitialium.*

Non possit nec debeat aliquis stipendiarius vel soldaterius comunis Mediolani recipi ad soldum comunis Mediolani, nisi saltim adsint presentes duo vel unus ex ipsis dominis sex vel ex dominis duodecim.

CVII. *Quod expense comunis Mediolani non excedant introytum.*

Dominus Mediolani ac domini duodecim et domini sex curent suo posse, quod expense comunis Mediolani non excedant summam introytus averis comunis Mediolani.

CVIII. *De canevariis comunis Mediolani et eorum offitio.*

Duo sint canevarii comunis Mediolani ad cameram, qui sint mayores annis triginta pro quolibet eorum, qui canevarii eligantur per dominum Mediolani, et quilibet dictorum canevariorum habeat omni die de avere comunis pro eius feudo soldos sex tertiolorum, et nullum aliud acatum fatiant ratione ipsius offitii, nec aliquid aliud habeant de avere comunis Mediolani, nisi plaustra et tendas, quas habere possint a comuni Mediolani in simul cum

dominis sex, cum erunt in exercitu; et teneantur dicti canevarii ante introytum sui offitii iurare coram vicario provixionum de fatiendo dictum offitium bona fide sine fraude, et satisdare cum bonis fideiussoribus de libris mille tertiolorum pro quolibet eorum de fatiendo et exercendo bene et legaliter offitium suum, et de ratione reddenda, prout offitii sui qualitas requirit, et de observando statuta comunis Mediolani et reformationes consiliorum, et de custodiendo, salvando et restituendo res et bona comunis Mediolani, que sunt et pervenerunt ad suas manus ad utilitatem comunis Mediolani; et duret eorum offitium per menses sex et non ultra, et qui fuerint per sex menses, non possint esse ad dictum offitium infra duos annos exinde sequentes.

CIX. *De eodem.*

Predicti canevarii, notarii et servitores teneantur omni die bis, videlicet in mane et de post nonas, cum pulsatum fuerit campana consuetudinis, venire ad cameram comunis, et ibi permanere continue a mane usque ad sextam et post nonas usque ad vesperas; et canevarii vel unus eorum teneantur per sacramentum personaliter ire ad quaslibet conciones et consilia comunis Mediolani, in quibus fierent alique condempnationes, et statim accipere quaternos condempnationum et absolutionum in dictis concionibus et consiliis factarum, et incontinenti ipsos quaternos poni fatiant in libro condempnationum et absolutionum dicti comunis.

CX. *Quod tota pecunia comunis Mediolani perveniat in texaurerium vel campsorem.*

Tota pecunia et avere comunis Mediolani per-

veniat in canevarium comunis Mediolani seu thexaurerium vel campsorem pro eis congerentem.

CXI. *Quod fiant duo libri pro intratis et expensis comunis describendis.*

Canevarii in principio sui offitii fieri fatiant quatuor libros, quorum duo sint de recepto et alii duo de expensis, duo quorum, videlicet unus de recepto et alter de expensis, stent penes eos canevarios et alii duo penes dominos sex; et quod ipsi canevarii ea die, qua scripserint receptum et expensas in libris suis, eadem die vel sequenti fatiant scribi per notarios suos in libro seu libris, qui erunt penes dominos sex, illud receptum et illas expensas. Et ille notarius, qui scripserit in libris dictorum canevariorum dictas expensas vel recepta, debeat scribere in libris dominorum sex; et si dicti notarii in predictis fuerint negligentes, puniantur quilibet ipsorum in libris quinque tertiolorum, et dictus canevarius in soldis sexaginta tertiolorum, et insuper in eorum fraudem adhibeatur fides libris dictorum canevariorum.

Idem habeat locum in quolibet offitiali existente ad cameram.

CXII. *Quod fiant libri, qui appellentur memoriales datiorum.*

Fiant duo libri, qui appellentur memoriales datiorum et intratarum comunis Mediolani, unus quorum stet ad cameram dominorum duodecim, et alius penes canevarios comunis Mediolani, in quibus libris scribantur per ordinem dies venditionum, pignorum, pedagiorum vel datii vel intrate, et nomina emptorum et fideiussorum eorum, et pre-

tium et terminus solutionum, et in eis libris semper scribantur solutiones, sicut fient de mense in mensem et de termino in terminum per emptores dictorum datiorum seu pedagiorum cuiuslibet datii et intrate per se, non immiscendo receptionem unius datii cum receptione alterius, nec immiscendo aliquas alias receptiones aliquarum intratarum comunis Mediolani cum receptionibus gabelle salis vel datiorum comunis Mediolani.

CXIII. *De eodem.*

Canevarii comunis Mediolani seu eorum notarii scribant in alio libro omnes expensas et causas expensarum, que fient de denariis ipsorum datiorum et intratarum et averis comunis Mediolani, et cuius precepto expensatum sit, per se et separatim, sicut dictum est de receptionibus dictorum denariorum.

CXIV. *De cassinis et molandinis, que sunt intra corpora sanctorum registrandis.*

Domini sex camere comunis Mediolani teneantur ex offitio suo inquirere cassinas et molandina, que sunt infra corpora sanctorum, et que non tenentur ad sustinendum onera cum plebibus, seu que tenentur respondere oneribus cum civitate et suburbiis tantum, et non cum aliquibus plebibus, et de ipsis fieri facere unum librum. Qui liber ponatur et maneat ad cameram comunis Mediolani, et in perpetuo plena fides adhibeatur, ut ipsa molendina et cassine, que in eo libro scripte fuerint, respondere debeant cum civitate et suburbiis tantum, et non possint compelli ad sustinendum aliqua onera cum aliquibus plebibus; et predicta fiant per dominos sex, citatis prius iis, quorum interest.

CXV. *Quod eodem tempore nullus possit habere nixi unum offitium.*

Non possit aliquis habere nisi unum offitium salariatum uno eodem tempore, et si habuerit, compensetur unum salarium cum reliquo.

CXVI. *Quod debitor et creditor comunis possit compensare.*

Si aliquis fuerit debitor et creditor comunis Mediolani possit compensare, et ipso iure compensatio facta sit usque ad quantitates concurrentes, ac si exposita esset ab homine; et hoc non obstante, quod in condempnatione sit dictum, quod ipsa condempnatio non possit compensari; et non possit molestari aliqua occaxione usque ad illam quantitatem, quam habere debuerit per aliquem iusdicentem vel offitialem, nec per aliquem alium, qui haberet causam a comuni Mediolani; et quod domini sex predicta executioni mandare teneantur; quod statutum non habeat locum in creditore ex iure sibi cesso.

CXVII. *De rationatore comunis et eius offitio.*

Adsint penes canevarium comunis Mediolani unus rationator, qui sit notarius, et duo rationatores qui stent ad offitium, quod appellatur offitium Sachi de Samblatore, qui fatiant et scribant omnes rationes comunis Mediolani; qui rationatores habeant libros tres quilibet pro se, in quorum uno sint omnes rationes stipendiariorum equitum, et in alio omnes rationes stipendiariorum peditum, et tertius sit pro rationibus extraordinariis; et quod dicti rationatores debeant consignare omnes rationes dominis canevariis comunis Mediolani seu rationatoribus

eorum ad hoc, ne ipsi canevarii scribant ad capitula eorum in libro expensarum, et quod nulla ratio detur alicui persone per predictos canevarios; qui rationatores mutentur, videlicet unus in fine sex mensium, et subrogetur per dominum Mediolani alius rationator, et in fine aliorum sex mensium mutetur ille qui erat primus, et subrogetur alius, et sic mutetur prior eorum singulis sex mensibus, et subrogetur unus alius.

CXVIII. *De pena recipientis pecuniam comunis, si non manifestaverit eam in tempore.*

Quilibet campsor et offitialis et quelibet alia persona deputata ad recipiendum avere comunis Mediolani, seu recipiens vel que receperit seu recipiet pecuniam vel aliam rem comunis Mediolani, vel ad cuius manus de pecunia vel rebus comunis Mediolani pervenerit, teneatur et debeat infra octo dies, ex quo reperiretur, vel infra mensem a fine sui offitii numerandum, notificare domino Mediolani vel offitio provixionum, et de ipsis bonam et completam facere rationem et solutionem illis, quibus dixerit ipse dominus Mediolani vel domini duodecim, et hoc sub pena quarti, et exonerandi et indempnem prestandi comune Mediolani de illa pecunia vel re a creditoribus illius comunis, et substinendi omnes uxuras et omnia dampna, quas comune Mediolani solvit et substinet a creditoribus suis; et predicta locum habeant, si aliquod predictorum receptum, habitum vel perventum fuerit in aliquem vel per aliquem in civitate Mediolani vel suburbiis; si vero in comitatu, tunc teneatur ipse recipiens, vel ad cuius manus pervenit vel pervenerit aliquid de pre-

dictis, infra duodecim dies ultra predictos facere et adimplere supradicta, secundum quod dictum est supra de recipientibus et habentibus in civitate, et sub predicta pena; quam penam incurrat quilibet predictorum ipso iure, et ad eam compellatur omnibus iuris remediis sine aliqua condempnatione.

CXIX. *Quod domini sex camere non possint investire sine presentia et consensu certorum aliorum offitialium.*

Nulla locatio nullaque concessio, investitura vel alienatio alicuius rei immobilis comunis Mediolani fieri possit de cetero per dominos sex presidentes rationibus et defensionibus camere comunis Mediolani nec eorum offitium, nisi fiat in presentia, consensu et voluntate vicarii domini Mediolani deputati officio provixionum, et dominorum duodecim provixionum; et si facta fuerit, non valeat nec teneat, et inanis sit et pro infecta habeatur.

CXX. *De salario ambasiatorum.*

Si per dominum Mediolani vel per comune Mediolani contingat aliquem mitti in aliquam ambasiatam, habeat et habere debeat et eidem satisfiat de avere comunis Mediolani sub forma infrascripta, videlicet tam si fuerit miles quam iurisperitus, quam quicumque alter, qui missus fuerit in ambassiatam ad dominum papam vel ad dominum imperatorem, vel ad aliquem regem aut legatum alicuius predictorum, pro quolibet equo, quem sechum duxerit, videlicet si fuerit miles vel iurisperitus, usque ad equos quinque, si vero alius usque ad equos quatuor, habeat singulis diebus, quibus steterit in ea ambassiata, libras duas et soldos decem tertiolorum;

si vero missus ad alium quam ex predictis, habeat et habere debeat pro quolibet equo, quem sechum duxerit, singulis diebus libram unam et soldos decem tertiolorum usque ad equos quatuor, et non ultra [A].

CXXI. *De eodem.*

Si contingat ambasiatorem militem vel iurisperitum ducere ultra equos quinque, si vero fuerit alius quam ex predictis, ultra quatuor equos nullam re-

A Legati communitatis officium suum obeuntes, si ius dicerent, causarum suspensione fruebantur; haec enim statuit dux: « Auditis his que nobis exposuerunt sapientes legum doctores » dom. Adoardus de Curadis et Ambrosius de Buziis ambassiatores comunis nostri Mediolani, volumus quod provisionem » faciatis, quod in causis et questionibus propriis dictorum » dom. ambassiatorum seu alterius eorum, et etiam in causis » et questionibus, in quibus sunt commissarii, delegati seu as- » sumpti seu arbitri, arbitratores vel amicabiles compositores » vel soli advocati, a die eorum recessus a civitate nostra Me- » diolani usque ad reditum suum ad predictam civitatem, et » per tres dies post, nullum tempus nullaque temporis instantia » currere nec cucurrisse intelligatur, sed sint et esse intelli- » gantur questiones ipse in illis statu et gradu, in quibus erunt » immediate ante recessum ipsorum; huiusmodi provisionem » predictam ex nunc serie presentium confirmantes. Datum » Papie, die XI septembris MCCCXCVI ». Quoad vero eorum mercedem, haec decreverat magistris ordinariis dux: « Complacere volentes egregio militi dom. Antonio de Vicecomitibus » et sapientibus legum doctoribus dom. Adoardo de Curadis » et Ambrosio de Buziis, nuntiis et ambaxiatoribus communis » nostri Mediolani, qui nuper ad nos cum certis capitulis fuerunt, volumus ut ordinetis quod amodo in antea vicarius et » duodecim provisionum comunis dicte nostre civitatis pre- » sentes et qui per tempora erunt, habere possint de intrata » nostra ordinaria pecuniam necessariam pro expensis fiendis » pro ambaxiatoribus et nuntiis destinandis hinc inde pro ne- » gotiis comunis nostri predicti, dummodo non excedat sum- » mam florenorum decem singulo mense, computato uno cum » altero. Dat. Papie, die octavo septembris MCCCXCVI. »

(*Ex Cod. ms. Fagnani pag.* 111, *et Reg. Litt. Duc.*, *n.* 2, *pag.* 225).

munerationem consequatur de avere comunis Mediolani a dictis equis supra.

CXXII. *De eodem.*

Remuneratio predictorum ambasiatorum fiat ut supra, pro die quo se absentaverint a civitate, et pro illa die qua a dicta ambasiata Mediolanum redierint, et etiam pro toto tempore sue absentie, et etiam fiat in bona pecunia numerata; et contra predicta vel aliquod predictorum, que depoxita sunt pro ambasiatoribus, non possit fieri proposta nec arenga sub pena librarum centum tertiolorum pro quolibet contrafatiente, ad quam solvendam sine aliqua alia exceptione cogatur et cogi debeat [A].

CXXIII. *De pena notarii de offitio recipientis solutionem ultra quam sit concessum.*

Notarii de offitio seu cuiuslibet iusdicentis vel offitialis, quibus solutionem accipere licet pro actis vel scripturis, non possint nec debeant accipere aliquam solutionem per se vel per submissam personam ultra tassationes inferius contentas, sub pena librarum decem tertiolorum qualibet vice, qua fuerit contrafactum; ad quas penas persolvendas et quamlibet earum compellantur contrafatientes etiam sine aliqua condempnatione; et quilibet possit accuxare seu notificare, et accusator seu notificator, si inde facta fuerit condempnatio, habeat medietatem penarum, et alia sit comunis Mediolani, et adhibeatur fides accusatori seu notificatori cum sacramento et uno teste fide digno; et de predictis et quolibet predictorum teneatur quilibet iusdicens singulis

A « valeat » (*Cod.* B. 19).

tribus mensibus sub pena librarum vigintiquinque tertiolorum qualibet vice, qua negligens fuerit, vel omixerit inquisitionem formare contra suos notarios, et super ea diligenter inquirere et investigare veritatem, saltem a sex vel a quatuor ex melioribus et dignioribus procuratoribus conversantibus et utentibus ad eorum banchum, et ab aliis quibuscumque personis fidedignis ad ipsa bancha conversantibus, quas erit verisimile melius posse scire veritatem predictorum; quos procuratores et personas, a quibus erit veritas investiganda ut supra, teneatur ipse iudex diligenter interrogare de omnibus et singulis, que debuerunt vel potuerunt esse comissa, omissa vel neglecta per dictos notarios vel aliquem ex eis in eorum offitio contra formam statutorum et ordinamentorum comunis Mediolani et contra debitum sui offitii; et eligatur et eligere teneatur ad predictum processum scribendum quilibet iudex unum ex notariis de pillastro de collegio notariorum Mediolani bonum et ydoneum, quem iurare compellat offitium suum in predictis facere et exercere bene et legaliter; et eo casu quo per offitium procedatur, credatur et credi debeat de predictis omnibus et singulis duobus testibus fidedignis etiam in dicto suo singularibus, et in predictis procedere, punire et condempnare valeant omni iuris et statutorum solempnitate omissa. Et teneantur sindicatores cuiuslibet iusdicentis tempore sindicatus sub pena librarum quinquaginta tertiolorum ex eorum offitio sumarie et extra ordinem specialiter inquirere, si per dictos iusdicentes fuerint observata omnia et singula, que superius continentur; et si reperierint

aliquem iusdicentem in predictis vel aliquo predictorum stetisse vel fuisse negligentem, possint, teneantur et debeant ipsum punire et condempnare secundum formam predictam.

CXXIV. *De eodem.*

Domini sex camere teneantur et debeant sub predicta pena singulis mensibus eodem modo inquixitionem facere contra omnes et singulos aprobatores satisdationum, que aprobantur in civitate Mediolani, et contra eos inquirere, si aliquis eorum solutionem acceperit contra formam statutorum comunis Mediolani vel contra debitum offitii sui, et eos punire et condempnare modo et forma, ut de notariis de offitio dictum est, si culpabiles reperti fuerint in aliquo, et eodem modo procedere, punire et condempnare, si aliqua accusa vel notificatio proinde fuerit eis porrecta. Et quod dicti notarii et aprobatores pro predictis aliquam satisdationem facere non teneantur, sed satisdationes per eos prestite occaxione offitii eorum et fideiussores in eis constituti ad predicta teneantur.

CXXV. *De tassatione solutionis notarii de offitio pro scripturis.*

De subscriptione precepti requirendi in civitate vel extra civitatem Mediolani, quot sint actores et rey, imp. tres.

De subscriptione note banni simplicis possint accipere, si fuerit unus, imp. duos, et si fuerint plures, quotquot fuerint ab uno supra, imp. unum pro quolibet, et si fuerit universitas vel collegium, imperiales quatuor.

De parabula contra actorem cum positura in qua-

terno imp. duos, si fuerit unus; et ab inde supra, quotquot fuerint, imperiale unum pro quolibet; et si fuerit pro comuni et consulibus, imp. sex.

De parabula seu precepto robandi et contestandi et capiendi vel alia [A] exercendi et faciendi, quotquot sint numero, etiam si sint comunia vel universitates, imp. sex pro quolibet precepto, quotquot sint in eo precepto.

De subscriptione novi banni pro depoxitis et captis non consignatis in archa comuni, quotquot sint numero in banno, imp. sex, et notarius bannorum habeat pro subscriptione totidem antequam preterierit, et duplum si preterierit.

Notarii nichil possint accipere pro infilatura alicuius banni, sed teneantur ponere in filo sine aliquo pretio.

De possessione tediali pro traditura subscripta et poxita in quaterno, si fuerit librarum centum tertiolorum et ab inde infra, imp. duodecim, et ab inde supra usque ad libras quingentas, imper. decem octo, et ab inde supra, cuiuscumque quantitatis sit, solidos quatuor tertiolorum, quotquot sint illi, contra quos et pro quibus data sit possessio.

De quolibet termino cum exemplatura, subscriptura et positura in quaterno imper. duos pro parte; et si fuerint plures actores vel rey usque ad sex et a sex supra, quotquot sint, imper. novem, etiam si fuerit comune burgi vel loci, et non ultra.

De sententia interloquutoria pro pronuntiatione, traditione et subscriptura sol. sex tertiolorum, lata

A « vel aliam executionem faciendi » (*Cod.* B. 19).

de conscilio alicuius de collegio; et si lata fuerit sine conscilio, solvant secundum numerum linearum, ut infra dicetur; salvo quod pars petens sententiam solvat scriptori, et possit pars eligere quem scriptorem voluerit.

De sententia diffinitiva, si ascenderit usque ad libras decem et ab inde infra, soldos quinque tertiolorum; et si usque ad libras vigintiquinque tertiolorum, soldos novem tertiolorum; et si usque ad libras quinquaginta tertiolorum, sol. duodecim tertiol.; et si usque ad libras centum tertiol., sol. quindecim tertiol.; et si usque ad ducentum, sol viginti tert.; et si usque ad trecentum, sol. triginta tert.; et si usque ad quingentas, sol. quadraginta tertiol., et si ab inde supra, cuiuscumque quantitatis sit, libras quatuor tertiol.; et hoc si certa quantitas exprimitur in sententia, et si certa quantitas non est expressa, habeatur respectus ad extimationem rey vel iuris vel facti eius, de quo sit pronuntiatum, dum non excedat summas predictas; hoc addito, quod ultra predicta teneatur pars solvere scriptori de exemplatura sententie, et possit pars eligere quem scriptorem voluerit.

De parabula veniendi secure, absque eo quod impediri possit pro aliquo debito publico vel privato, cum positura in quaterno imp. sex pro quolibet, quotquot fuerint.

De parabula ducendi victualia et negotiationes extra civitatem vel comitatum vel ad transversum, sol. unum tertiol., si fuerit a modio uno supra, vel brentis sex vini supra; et si ab inde infra, imper. duos.

De exhimatura cuiuslibet banni, etiam si sit de contemptu et inobedientia vel bischilazia vel fideiussoria, dum non sit pro aliquo malefitio, imp. novem pro quolibet exhimendo, etiam si fuerit comune et consules, et hoc tantum si fuerit sub offitio notarii civis; et notarii bannorum habeant pro canzelatura, antequam preterierint, tantundem, et si preterierint duplum pro canzelatura vel exemplatura cum subscriptione.

De dilatione seu prorogatione banni, etiam si sit de contemptu et inobedientia vel bischlazia, si fuerit unica persona, imp. novem, et ab inde supra imp. tres pro quolibet, si fuerit notarius civis.

De relassatione cuiuslibet capti pro aliquo debito publico vel privato vel alia occaxione etiam malefitii solidos duos tertiolorum; salvo quod ubi sit notarius forasterius, nichil debeat solvi, sed ipse notarius gratis scribat et ponat in actis.

De relassatione pigneris seu pignerum una vice robatorum, quicquid valeant, imp. sex, et servitori imper. unum.

De exemplatura et subscriptura cuiuslibet condempnationis et absolutionis et banni in papiro sol. tres tertiol. pro quolibet foleo de imp. congrue et ordinate scripto ab una parte, ut de testibus dictum est, sive scribatur in papiro, sive in carta.

De qualibet satisdatione, si fuerit librarum centum tertiol. et ab inde infra, imp. decem; et si fuerit usque ad libras mille tertiol., imp. decem octo; et si fuerit de libris duobus millibus tertiol. et ab inde infra, soldos quinque tertiol.; et si de libris decem millibus tert., sol. octo tertiol., et hoc pro quolibet

principali satisdante [A], sive sit universitas, sive singularis persona.

De exemplis et scriptura cartarum et instrumentorum imp. quatuor pro qualibet pagina papiri scripta, ut de testibus dictum est; que exempla notarius scribere teneatur pro suprascripto pretio, et si non subscribat, habeat tantum medietatem.

De exemplatura et subscriptura banni simplicis imp. tres pro quolibet banno, sive unus sive plures sint, sive comune sive universitas sive singularis persona sit, et pro canzellatura, postquam preterierit, tantundem, et antequam preterierit, medietatem.

De exemplatura et subscriptura banni de malefitio, de quo malefitio non ingeratur pena sanguinis, solidos quatuor tertiolorum pro quolibet bannito, et si ingeratur pena sanguinis, soldos octo tertiol. pro quolibet.

Pro canzellatura alicuius predictorum bannorum, antequam preterierit, habeat tantundem, quantum haberent pro exemplatura et subscriptura.

Pro canzellatura, postquam preterierit, si contingerit aliquo modo debere et posse canzellari, habeant duplum eius, quod haberent pro exemplatura et subscriptura, et pro suspendendo habeant medietatem.

Pro circhatura bannorum ad filos camere bannorum veterum, si fuerit de banno civili, imp. sex, quotquot fila circhent in uno regimine; que oportuerint circhari; et si pro maleficio, debeat prius circhari in registro, et habeat imp. sex pro anno quo circhaverint.

A « satisdatione » *(Cod. praecit.)*.

Que omnia statuta loquentia de bannis habeant locum in notariis bannorum pallatii camere bannorum veterum, et turris credentie et consulum iustitie et merchatorum Mediolani et quorumlibet notariorum et gubernatorum, penes quos essent illa banna.

CXXVI. *De bannis infilandis.*

Banna que dantur et dabuntur per iudicem seu sub iudice datiorum et per consules iustitie, portentur ad infilandum in pallatio novo comunis Mediolani ut alia banna, finito presenti incantu notariorum de offitio, alioquin non valeant.

CXXVII. *De bannis portandis ad cameram bannorum veterum.*

Banna vero hactenus data per ipsum iudicem datiorum et per ipsos consules iustitie, finito dicto presenti incantu, portentur ad cameram bannorum veterum, ubi alia banna sunt et remanere debent.

CXXVIII. *De tassatione aliarum scripturarum.*

In aliis vero scripturis, de quibus non est supra vel infra facta mentio, debeat haberi recursus per comparationem ad predicta in solutione, et si essent sic dissimiles, quod non possent alicui capitulo comparari, fiat solutio arbitrio iusdicentis; de aliis vero scripturis, de quibus supra non est facta mentio specialis, possint dicti notarii de offitio petere et accipere usque ad infradictas quantitates et non ultra, videlicet pro scripturis, que posite sunt vel poni debeant in quaterno, pro ponendo in quaterno et explendo et subscribendo, et pro omni remuneratione tam sui quam cuiuslibet scriptoris et coadiutoris et quacumque occaxione, mezanum unum pro qualibet linea, que sit ad minus quadraginta lite-

rarum; et predicta solutio fienda secundum tassationem contentam in presenti statuto non habeat locum in scripturis, de quibus specialiter sit provixum.

De exemplatura instrumentorum productorum et cuiuslibet scripture, si non subscribatur, imper. duos pro impagina, et si subscribatur, imp. quatuor pro scriptore de offitio.

De consignatura bladi pro scribendo in libro et in omnibus partibus ubi expedierit, et dando confessionem consignationis ad super totum imp. unum pro modio, et de ipso imperiali debeant notarii victualium satisfacere omnibus aliis notariis, qui ea occaxione aliquid fecerint vel facere voluerint [A].

Ad ea offitia, ad que essent notarii forasterii, nichil accipi possit.

CXXIX. *Qualiter impagina papiri scripta intelligatur esse scripta congrue.*

Intelligatur impagina folii papiri congrue scripta, si sit linearum viginti et litterarum quadraginta ultra abreviaturas pro qualibet linea.

Predicta omnia statuta loquentia de solutionibus fiendis notariis de offitio locum habeant et habere intelligantur computato incantu seu inquixitione, que fieret de eis, ita quod propter ea non possint plus accipere; et si contingerit quod ipsa offitia vel aliquod ex eis non venderentur seu non incantarentur, quod tunc teneantur recipere terminum [B] minus quam superius tassatum est, et habeant locum ipsa statuta solummodo finito presenti incantu offitii dictorum

A « debuerint » *(Cod. praecit.)*.
B « tertium » *(Id. Cod.)*.

notariorum, et durante presenti incantu serventur statuta vigentia tempore compilationis presentium statutorum.

CXXX. *Quod notarii de offitio servent statuta de solutione scripturarum, et solvant incantum et iurent.*

Omnes et singuli notarii iusdicentium et approbatores teneantur gerere offitium suum bene et legaliter, et observare statuta comunis Mediolani in suis solutionibus et aliis, et solvere denarios sui incantus de mense in mensem; de quibus omnibus teneantur coram dominis sex camere satisdare et iuramentum prestare ante introytum sui offitii pena librarum vigintiquinque tertiol. pro quolibet eorum.

CXXXI. *Quod statuta de notariis et servitoribus habeant locum in notariis et servitoribus cuiuslibet offitii civitatis et comitatus.*

Omnia et singula ordinamenta de notariis et servitoribus locum habeant tam in notariis et servitoribus vicarii curie domini, quam iudicum turris credentie seu datiorum offitii persecutionis malefactorum, et custodie seu tense comitatus seu vetitorum vicarii Martexane, Dexii et Bulgarie, et in quibuscumque notariis et servitoribus cuiuslibet offitii civitatis et comitatus Mediolani, quibus licitum sit accipere solutiones.

CXXXII. *De bannis consignandis canevario bannorum veterum* [A].

Notarii qui steterint ad banna, teneantur et debeant singulis sex mensibus, videlicet ante octavam diem

A « vetitorum » *(Cod. praed.).*

ianuarii et ante octavam diem iulii cuiuslibet anni, dare et consignare omnia banna data ab inde retro, que habuerint canevarii bannorum veterum ad cameram palatii, sub pena librarum quinquaginta tertiolorum.

CXXXIII. *De solutione notariorum, qui debent registrare sententias ad cameram.*

Notarii dominorum sex camere comunis Mediolani, qui debent registrare sententias ad dictam cameram, recipere possint et habere pro sua remuneratione dicte registrature [A] ad computum soldi unius tertiol. pro qualibet impagina registrata unius mediani papiri congrue et ordinate scripta; et intelligatur esse congrue et ordinate scripta, si sit linearum viginti pro qualibet impagina litterarum quadraginta quinque pro qualibet linea ultra abreviaturas; et si maiorem solutionem sive remunerationem receperint, puniatur contrafatiens ea pena, qua puniri debent alii notarii iusdicentium recipientes mayorem solutionem, quam eis concessum sit, secundum formam statutorum comunis Mediolani.

CXXXIV. *De remuneratione campsoris et aliorum recipientium pecuniam comunis Mediolani.*

Liceat campsori et cuilibet alii recipienti pecuniam nomine comunis Mediolani tam ab aliqua universitate quam singulari persona exigere et habere pro scripto, quod fatiet de receptione dicte pecunie a solventibus, usque ad libras decem tertiolorum vel infra, possit recipere usque ad soldum unum tertiolorum; et si solverit ab inde supra usque ad libras

A « registrationis » *(Id. Cod.)*.

centum tertiol., possit recipere usque ad soldos duos tertiol.; et si solverit ab inde supra usque ad libras quinquecentum tertiolorum, possit recipere soldos quatuor tertiol.; et si solverit ab inde supra usque ad libras mille tertiol., possit recipere soldos octo tertiol.; et si solverit ab inde supra, quantacumque solvat, possit accipere usque ad soldos decem tertiol. et non ultra in aliquo predictorum casuum; et si ultra receperit, puniatur de facto et absque aliquo processu talis campsor vel receptor in libris decem tertiol. pro qualibet vice et ultra in quadruplum eius, quod indebite acceperit; et quilibet possit notificare et denuntiare seu referre coram vicario offitii provixionum et quocumque alio iusdicente in civitate Mediolani, et habeat medietatem dicte pene [A], et alia medietas in comune Mediolani perveniat. Notarii vero canevarii comunis Mediolani recipere possint usque ad duplum predictarum quantitatum superius tassatarum pro confessionibus solutionum, quas fatient et parti dabunt, et pro canzellando et scribendo canzellaturas vel suspensiones super aliqua condempnatione et non ultra sub predicta pena, que exigatur de facto absque aliquo processu, et perveniat ut supra.

CXXXV. *De tassatione solutionis notarii de offitio pro multis scripturis.*

Quia in statutis non est singulariter facta tassatio de solutione notariorum de offitio, eo quod non potest de ipsis haberi memoria, idcircho per offitium provixionum cum deliberatione sex procuratorum fiat

A « pecunie » (*Cod. praed.*).

omni anno de mense ianuarii tassatio de aliis solutionibus notariorum de offitio, de quibus non est facta mentio seu tassatio specialis in statutis.

CXXXVI. *De inquisitione fienda contra notarios de offitio.*

Quilibet iusdicens, qui audiverit aliquem conquerentem de suo notario vel servitore vel aprobatore vel alio conversante ad eius banchum, etiam sine scriptura teneatur procedere contra ipsos statim de facto ad fatiendum expleri et dari scripturas, et fatiendi seu prestandi servitium seu debitum sui offitii pro pretio congruenti, et punire de facto ipsum offitialem et conversantem, si petit vel recipit ultra quam sit ordinatum secundum formam statutorum comunis Mediolani, et de predictis credatur referenti cum sacramento et uno teste vel duobus de diversis [A] causis etiam singularibus; et predicta locum habeant etiam sine alio processu vel scriptura; et domini sex camere et quilibet iusdicens teneatur singulis mensibus tribus, et quotiescumque notificatum fuerit, procedere contra predictos omnes et singulos notarios, aprobatores et servitores et offitiales summarie extra [B] ordinem et de plano sine strepitu et figura iuditii et omni solempnitate omissa, et punire et condempnare et restitutiones fieri facere, et credatur ut supra.

CXXXVII. *De electione seu constitutione gubernatoris* [C] *bannorum veterum.*

Presit una persona super offitio et gubernatione

A « universis » *(Ibid.)*.
B « contra » *(Cod. praed.)*.
C « gubernatorum » *(Ibid.)*.

bannorum veterum gubernandorum ad cameram bannorum veterum palatii novi datorum pro mallefitiis per dominum potestatem et eius iudices et iudicem et vicarium domini, et per quoscumque exercentes iurisdictionem pro comuni Mediolani, et etiam datorum in civitate Mediolani pro causis pecuniariis vel alia re vel negotio, et sit illa persona layca bona et legalis et mayor annis triginta; qui notarius teneatur satisdare coram dominis sex camere de offitio suo bene et legaliter exercendo, et de salvando et custodiendo banna et scripturas sui offitii, et procurando quod banna predicta reducantur ad ipsum offitium, et de solvendo comuni Mediolani denarios sui incantus, si contingat quod vendatur ipsum offitium, et de non recipiendo solutionem contra statuta comunis Mediolani, et de solvendo omnes condempnationes, que fierent de ipsa ratione vel causa sui offitii.

CXXXVIII. *De satisdatione notariorum de offitio.*

Teneantur notarii, qui habebunt offitia, bonam prestare satisdationem ad cameram comunis Mediolani de solvendo comuni Mediolani pretium sui incantus de mense in mensem, secundum formam incantus seu dati comunis Mediolani, non petendo nec accipiendo solutionem per se nec per aliquem commorantem ad banchum nec per aliquam interpoxitam personam, ultra formam contentam in statutis comunis Mediolani, et de solvendo omnes penas et condempnationes, que fierent ipsa occaxione, de se vel aliquo conversante seu gerente offitium eorum nomine seu ad eorum petitionem ad ipsum banchum; et non stent ad banchum alicuius iusdicentis aliqui

notarii vel scriptores, qui aliquid petant vel recipiant, sub pena notario et ipsis scriptoribus librarum vigintiquinque tertiolorum pro quolibet eorum; sed notarii offitii fatiant scripturas fieri in actis poni pro solutionibus ordinatis, alioquin ipsi teneantur ad penam, et vicarius provixionum debeat hoc eis precipere et executioni mandare sub pena libr. centum tertiolorum.

CXXXIX. *De tubatoribus comunis Mediolani et eorum salario et offitio.*

Sex sint tubatores et precones comunis Mediolani, unus pro qualibet porta, qui teneantur facere cridas per civitatem et suburbia in locis consuetis, et medio burgorum inter pontes veteres et portas, et in aliis locis consuetis equester et pedester, secundum quod eis impoxitum fuerit, sub pena librarum decem tertiolorum pro qualibet vice et quolibet eorum, et ascendere palatium comunis Mediolani ad arengeram novam in qualibet contione, et ibi tubas sonare ad congregandum arengum, et alibi ubi necesse fuerit et consueverunt; et habeant a comuni Mediolani pro eorum feudo seu salario omni anno libras centum tertiol. pro quolibet eorum, seu prout consueverunt habere; et ultra nichil a comuni Mediolani non habeant aliquo modo; in quo salario debeant esse contenti, et teneantur ipsi tubatores et quilibet eorum tenere equum unum de armis, et si non tenuerint equum unum de armis, removeantur ab offitio; et fiat iis solutio sui salarii omni mense de avere comunis Mediolani per canevarium comunis Mediolani, et pro ipso salario habere et tenere debeant equum unum de armis pro quolibet

in exercitibus et cavalcatis; et quod ipsi tubatores, quando ibunt ad schalas palatii vel per civitatem pro cridis faciendis, debeant portare secum tubam, et sonare una vice antequam incipiant preconizare, sub pena soldorum [A] centum tertiolorum pro quolibet eorum et qualibet vice.

CXL. *Quod nullus tubator possit habere offitium, ex quo habeat remunerationem vel salarium.*

Nullus tubator comunis Mediolani aliquod offitium vel negotium, quod dici possit et remuneretur vel speretur remunerari a comuni Mediolani, habere possit ultra predictum feudum, et nullus eorum aliquam electionem facere possit de aliquo offitio vel persona, que facere debeat pro comuni, nec aliquam cernedam de militibus vel peditibus facere possit, nec ad sortes pervenire de aliquo predictorum; et si contra factum fuerit, nullius sit momenti, salvo quod si electi fuerint ipsi vel aliquis eorum pro militibus pro aliqua cerneda, quod habere possint tantum, quantum ordinatum fuerit aliis militibus et non ultra; et offitium nichilominus teneatur bona fide exercere secundum preceptum illorum, qui preerunt illis militibus de cerneda.

CXLI. *De tubis argenti manutenendis per comune Mediolani et presentandis tubatoribus.*

Manuteneantur per comune Mediolani sex tube argenti bone et ydonee, que presententur et designentur tubatoribus comunis Mediolani, et recipiatur ab eis per dominos sex infra mensem unum, bona et ydonea satisdatio de eis gubernandis et

A « librarum » (*Cod. praed.*), sed, ut reor, mendose.

salvandis ét restituendis comuni Mediolani, quotiescumque petitum fuerit, et non vastandis et alienandis nec pignorandis, et consignandis si requisitum fuerit, sub pena privationis perpetuo illius offitii et salarii sui; et quod nullus possit nec debeat mutuare super eis nec eas emere, sub pena restitutionis dictarum tubarum comuni Mediolani absque aliqua restitutione pecunie, que satisdatio registretur ad cameram.

CXLII. *De cridis dandis in scriptis tubatoribus per iusdicentes.*

Quilibet iusdicens in civitate Mediolani teneatur et debeat dare in scriptis tubatoribus comunis Mediolani omnes cridas, quas voluerint facere fieri ad schalas palatii vel alibi, qui tubatores teneantur et debeant dictas cridas ita scriptas dare et consignare incontinenti gubernatori statutornm et scriptori cridarum comunis Mediolani, qui eas ponat in quaterno, ut consuevit; et si iusdicens contrafecerit, condempnetur in libris centum tertiolorum.

CXLIII. *De pulsatoribus campanarum comunis.*

Duo sint pulsatores campanarum comunis Mediolani, qui eligantur per dominos duodecim provixionum, et habeant claves turris sive campanilis comunis penes se, et bene custodiant turrem pro comuni, et pulsent campanas more solito, et habeant pro suo salario omni anno libras triginta sex tertiolorum pro quolibet eorum, seu prout disponitur per offitiales provixionum; et potestas teneatur facere eos pulsatores campanarum satisdare de predictis omnibus et singulis attendendis et observandis sub pena arbitrio potestatis.

CXLIV. *De portenariis seu soldateriis, qui stant ad portam civitatis.*

Portenarii seu soldaterii, qui stant ad portas et pusterlas civitatis, teneantur bene custodire fossata et terragia civitatis et ea circhare omni die, et si invenerint aliquod dampnum vel guastum factum esse, teneantur infra tres dies hoc accusare vel notificare potestati, et potestas teneatur eum condempnare in libris decem tertiol. omni vice, et credatur acuse portenarii seu soldaterii alicuius porte; cuius pene medietas perveniat in comune Mediolani, et alia in portenarium seu in soldaterium accusatorem et denuntiantem; et quilibet alius possit similiter accusare et notificare, et si probaverit accusam vel notificationem suam veram esse, habeat medietatem; et si portenarii vel soldaterii steterint negligentes in predictis, condempnentur in libris decem tertiol. pro quolibet, et removeantur ab offitio.

CXLV. *De anzianis parrochiarum.*

Anziani parrochiarum Mediolani et ipse parrochie teneantur et debeant ad terminum assignandum per potestatem Mediolani seu eius vicarium dare anzianos novos, secundum quod inter se concordaverint, sub pena in precepto eis fatiendo contenta, et cuiuslibet iuris sui causam [A], dum non sit iudex collegii Mediolani vel miles adobatus, vel procurator publice exercens offitium, vel habens gubernationem statutorum comunis Mediolani, vel scriptor cridarum, honus anziani vel anzianorum possit compelli subire in parrochia in qua habitat et non in alia; et qui-

A « tantum » (*Cod.* B. 19).

libet teneatur ad solutionem salarii anzianorum, si quod prestatur in parrochia in qua habitant et non alibi, secundum vires averis et personarum, scilicet duas partes pro avere et tertiam pro persona; et salvo quod non possint dare pro anziano aliquem, qui eo tempore consignaverit equum comuni, nec aliquem maiorem annis sexaginta, nec minorem annis viginti, nec aliquem confanonerium comunis Mediolani.

Idem per omnia servetur in coadiutoribus, si contingerit dari.

CXLVI. *De privilegiis anzianorum parochiarum.*

Anziani parrochiarum nec eorum fideiussores nec coadiutores non possint nec debeant capi personaliter pro manchis vel malextunis vel aliquo alio onere vel debito impoxito vicinie vel imminenti vicinis, dum tamen dicti anziani parati sint indicare iudici et eius familie debentes et eorum bona, si qui vel si qua reperiantur, et eum assotient vel associare parati sint ad domos vel ad bona et personas eorum, que haberent, si qua habeant que oportet, non solum in casibus quos futurum tempus creaverit, sed adhuc in pendentibus et iuditiali termino vel amicabili compositione [A] nedum sopitis obtinere.

CXLVII. *De eodem.*

Anziani parrochiarum Mediolani non teneantur ire ad aliquem exercitum nec andatam nec cernedam, nisi unus pro qualibet parrochia, et si fuerint duo vel plures anziani in una parrochia, quod unus eorum sortibus inter eos proiectis habeat hoc benefitium, et non plus, nisi eo tempore consignaverit equum comuni Mediolani.

A « compositore » (*Cod.* B. 19).

RUBRICA GENERALIS

de Advocatis, Sindicis ac Medicis comunis et pauperum.

CXLVIII. *De advocatis comunis et pauperum.*

Quatuor advocati comunis Mediolani et pauperum sint et esse debeant in civitate Mediolani, quorum offitium duret per annum unum tantum, et habeat unusquisque advocatorum pro suo feudo libras quinquaginta tertiolorum; et eligantur per dominum Mediolani, et de predictis fiat crida singulis sex mensibus; qui advocati teneantur iurare ad initium sui offitii coram vicario offitii provixionum et dominis duodecim provixionum de offitio suo bene et legaliter fatiendo, et de advocando pro quibuscumque pauperibus et miserabilibus personis amore Dei et sine spe alicuius remunerationis, si petiti fuerint; que si non servaverint, nullum salarium recipere debeant a comuni Mediolani.

CXLIX. *De syndicis comunis et pauperum.*

Sint duo syndici comunis Mediolani, qui procurent negotia comunis Mediolani ac etiam pauperum, et habeant pro suo feudo libras vigintiquinque tertiolorum pro quolibet in anno, et teneantur sollicite inquirere et notificare domino exgravatori de pagamentis, que indebite extorquerentur per notarios contrà formam statutorum, et de aliis extorsionibus que fierent per offitiales comunis Mediolani, sub pena librarum quinquaginta tertiolorum; super quibus dictus iudex per offitium teneatur procedere,

et qui sindici teneantur iurare coram vicario et offitio provixionum de offitio suo bene et fideliter [A] exercendo, et de serviendo pauperibus et miserabilibus personis amore Dei et sine spe alicuius remunerationis, si petiti fuerint; que si non servaverint, nullum salarium recipere possint a comuni Mediolani.

CL. *Quod advocati et sindici comunis durent per unum annum.*

Advocati et sindici comunis Mediolani durent per annum unum tantum, et qui fuerint advocati et sindici in uno anno, non possint esse infra biennium; qui advocati et sindici in uno anno teneantur et debeant advocare et procurare causas comunis Mediolani et pauperum sine aliquo alio pretio.

CLI. *De electione et officio medici cirorgie pauperum* [B].

Unus medicus cirorgie, qui appelletur medicus

A « legaliter » (*Cod. eodem*).

B Medici electionem eiusque onera ac officia ostendit hoc ducis decretum Ticini datum die ultimo octobris MCCCXCVI: « Dux » Mediolani etc. De sufficientia et legalitate experti viri ma» gistri Antonii de Corbeta cyroici nostre civitatis Mediolani » dilecti nostri fiduciam assumentes, eundem magistrum An» tonium ad officium et curam mutilandorum et aliorum pau» perum et infirmorum ipsius nostre civitatis loco magistri » Mafiodi de Bernadigio, quem a die presenti in antea a dicto » officio revocamus, tenore presentium constituimus et depu» tamus cum illis salario, usibus et commoditatibus, que huius» modi officii causa idem magister Mafiolus habere solitus est, » et etiam cum salario florenorum duorum cum dimidio mense » singulo per ipsum magistrum Antonium percipiendorum de » salario ordinario, quod dabatur magistro Antonio de Curte, » quem, ut sentimus, talibus recusabat curis intendere; ita » quod dictus magister Antonius veniat ad habendum de salario » singulo mense florenos quinque, etc. » *(Ex Cod. ms. Fagn.)*. De medicorum numero in civitate haec habentur apud Galva-

pauperum, eligatur per dominum Mediolani, cuius offitium duret per annum unum, et habeat pro feudo suo libras quinquaginta tertiolorum omni anno, et qui teneatur et debeat medicare gratis infirmos hospitalium civitatis Mediolani et suburbiorum Mediolani et carcerum.

CLII. *De iure reddendo in broleto.*

Potestas et eius iudices et omnes iudices comunis Mediolani reddentes ius in civitate Mediolani, exceptis vicariis domini et eius iudicibus in curia commorantibus, teneantur et debeant sedere in broleto novo comunis Mediolani pro iure reddendo, et ibi reddere ius et non alibi, sub pena cuilibet contrafatienti omni vice qua contrafecerit, librarum vigintiquinque tertiolorum.

CLIII. *Quod minor annis viginti non possit esse offitialis comunis Mediolani.*

Nullus minor annis viginti possit esse offitialis comunis Mediolani.

CLIV. *De remuneratione offitialium et notariorum, qui vadunt in comitatu pro comuni Mediolani.*

Quilibet offitialis vel notarius, dum non sit servitor, eundo per comitatum Mediolani equester sive scutifer, habeat tantum in die solidos viginti tertiolorum pro suis expensis et salarium pro uno equo; et si scutiferum duxerit, habeat soldos triginta tertiolorum et non ultra, computata mercede sua una die [A] cum altera.

neum Flammam: « Artis medicine professores et philosophi » nominati, computatis cyruicis, sunt plures CLXXX, inter quos » sunt plures salariati per communitatem, qui gratis tenentur » pauperes infirmos medicare » (*Chron. Extrav.*, n. 88).

A « vice » (*Cod. praedict.*).

CLV. *De pena offitialis delinquentis in offitio suo.*

Omnes offitiales cuiuscumque maneriei appellentur, qui reperientur delinquere in eorum offitio vel recipere mayorem solutionem, quam eis concessum sit per statuta comunis Mediolani, condempnentur qualibet vice qua contrafecerint in libris vigintiquinque tertiolorum pro quolibet eorum, et plus et minus inspecta qualitate facti, et adhibeatur fides conquerenti seu accusatori cum uno teste fide digno cum sacramento eorum, et quilibet possit accusare et habeat medietatem condempnationis; et predicta quoad penam non habeant locum in illis casibus, in quibus alias per statuta presentia certa pena aliter est impoxita.

CLVI. *Quod forasterii non exerceant offitium pro comuni, nisi sint constituti per dominum Mediolani vel per offitium provixionum.*

Nullus forasterius possit exercere aliquod offitium in civitate vel comitatu, districtu, diocexi vel iurisdictione Mediolani pro comuni Mediolani, nisi fuerit constitutus per dominum Mediolani vel offitium provixionum, sub pena librarum quinquaginta tertiolorum, in quam penam solvendam ipso facto sine aliqua condempnatione incurrat.

CLVII. *De pena habentis offitium contra statuta.*

Quicumque accusaverit vel notificaverit aliquem habere offitium contra statuta a potestate et a quocumque alio, teneatur . . . . et potestas medietatem pene accusatori seu notificatori dari fatiat.

CLVIII. *Quod clerici non habeant offitium.*

Nullus clericus vel qui se pro clerico defendat

a iurisdictione Mediolani, nec aliquis familiaris alicuius possit nec debeat habere aliquod offitium, nec esse de aliquo conscilio comunis Mediolani magno nec parvo, nec esse exactor alicuius pecunie comunis Mediolani; et potestas comunis Mediolani ipsum removere teneatur ab officio et consciliis, postquam ei denuntiatum fuerit.

CLIX. *De aprobatoribus et eorum offitio.*

Duo sint approbatores, qui debeant approbare suo periculo omnes satisdationes, que de vetero fieri contingerit coram iusdicentibus habentibus notarios forasterios, qui notarii forasterii tradent illas satisdationes; et debeant habere illi approbatores pro eorum salario, sive sint singulares persone sive plures sive universitas, videlicet si fuerit satisdatio de libris quinquaginta tertiolorum vel infra, sol. tres tertiol.; et usque ad centum libras tertiol., sol. sex tertiol.; et si de libris centum tertiol. et ab inde supra, sol. tres tertiol. usque ad libras mille tertiol. pro quolibet centenario ultra predictos sol. sex tertiol.; et a libris mille supra, cuiuscumque quantitatis sit, sol. quadraginta quinque tertiol. et non ultra; et si plus receperint, condempnentur, prout in statuto continetur incipiente « domini sex camere teneantur etc. », et ultra removeantur ab offitio, et aliquo tempore non possint habere nec exercere aliquod offitium vel benefitium in comuni nec pro comuni, et si reprobaverint ydoneum fideiussorem vel ydoneos fideiussores, puniantur in libris vigintiquinque tertiol. qualibet vice. Qui approbatores sint mayores annis vigintiquinque, et debeant satisdare cum bonis fideiussoribus coram dominis sex camere

de libris decem millibus tertiolorum, de conservando comune Mediolani indempne, et singulares personas indempnes; et alie satisdationes, que fient coram iusdicentibus habentibus notarios civitatis Mediolani, fiant et recipiantur per ipsos notarios eorum periculo sine approbatore; et quod vicarius domini Mediolani et vicarius domini potestatis teneantur de predictis inquirere et condempnare quolibet mense, sub pena librarum vigintiquinque tertiol. sui salarii; et quod qui habuerit hoc officium, non possit illud habere aliquo modo usque ad triennium.

CLX. *Quod nulla satisdatio generalis possit extendi ad aliquod spetiale.*

Nulla satisdatio generalis, que facta fuerit cum [A] aliquo rectore, iudice vel offitiali de parendo mandatis et de presentando, possit extendi ad aliquod aliud spetiale, nec ad casum de novo superventum vel emergentem, et quod propterea fideiussores non possint cogi ad solvendum, nec teneantur solvere pro eo quod huiusmodi talem satisdationem fecerit aliquod mutuum nec aliquam condempnationem, que sibi vel de eo fieret vel facta foret, nec aliquid aliud, nisi in ea satisdatione inde spetialis fiat mentio.

CLXI. *Quod nullus compellatur dare campsorem vel malevatorem.*

Non liceat potestati aut consulibus iustitie Mediolani vel negotiatorum nec alicui alii persone offitiali comunis Mediolani per se vel per alium compellere aliquem de civitate vel iurisdictione Mediolani dare campsorem vel malevatorem vel pagatorem,

A « coram » *(Cod. praedict.).*

dummodo satisdet per fideiussorem vel fideiussores vel pagatores ydoneos, qui non sint campsores, secundum quantitatem pecunie seu precepti dare paratum fuerit cum effectu, nec etiam compellere aliquem dare pignus vel pecuniam numeratam.

CLXII. *Quod nullus compellatur dare obsidem occaxione hostarie* [A].

Non possit potestas Mediolani amodo ex aliqua causa accipere obsidem vel obsides civitatis vel districtus Mediolani, nec cogere aliquam personam, ut ei vel alii det obsides vel exeat civitatem vel iurisdictionem Mediolani occaxione hostarie, vel aliqua alia occaxione in fraudem hostarie; et hoc capitulum sit precixum, scilicet quod non possit habere parabulam contrafatiendi per conscilium vel arengum.

CLXIII. *Quod nullum debitum comunis Mediolani exigatur, nisi primo scriptura fuerit ad cameram.*

Nullum debitum quod debeatur comuni Mediolani quacumque occaxione, que dici posset vel excogitari, possit nec debeat exigi, nixi primo scriptura illa, ex qua predictum debitum colligitur, fuerit ad cameram comunis Mediolani; et quod quilibet debens comuni Mediolani possit opponere cuilibet volenti exigere debitum pro dicta scriptura, quod dicta scriptura non est ad cameram comunis Mediolani, et dicta exceptio legiptima reputetur. Et si potestas vel alius exercens iurisdictionem in civitate Mediolani exigeret aliquod debitum, cuius scriptura non esset consignata ad cameram comunis Mediolani, ut supra,

A « hostagiarie » *(Ibid.)*.

condempnetur qualibet vice in libris centum tertiolorum.

CLXIV. *Quod nullus debeat molestari occaxione fodrorum, talearum et onerum, nisi datum sit in scriptis a camera vel a campsoribus auctoritate superioris.*

Nullus offitialis comunis Mediolani audeat vel presumat molestare aliquem civitatis vel comitatus Mediolani occaxione talearum, fodrorum, onerum vel alicuius debiti, nisi in scriptis a camera vel a campsoribus comunis Mediolani auctoritate superioris habeat illud, quod petit ab illo quem molestaverit, sub pena librarum quinquaginta tertiolorum qualibet vice; et dominus potestas et quilibet eius iudex et quilibet alius iusdicens in civitate Mediolani de predictis possit et debeat inquirere, procedere, punire et condempnare ex offitio.

CLXV. *De salario et remuneratione exacte pecunie tassando, et quod ultra non solvatur.*

Si contingat aliquem iudicem vel alium quemcumque offitialem exire civitatem pro aliqua exactione fienda vel alio negotio, non possit exigere nec habere pro se et familia et servitoribus, quos secum habuerit, aliqua occaxione, nisi secundum quod ordinabitur vel reperietur ordinatum per comune Mediolani, sub pena librarum quinquaginta tertiolorum, et ad restitutionem in duplum eius, quod receperit ultra predicta; et quilibet possit accusare et habeat medietatem condempnationis, et credatur dicto accusatoris cum sacramento et uno teste ydoneo et fide digno absque alia probatione.

Item quod non possit accipere aliquas expensas

nec salarium in civitate nec extra de aliqua reductione facta vel debito suspenso vel cassato nec alia quacumque de causa, nisi de eo quod exigerit et in comune Mediolani pervenerit, nec possit recipere salarium nec aliquas expensas ab aliqua persona, nisi de manu campsoris et per scriptum canevariorum comunis Mediolani, sub dicta pena et conditione; et quilibet possit accusare et habeat medietatem, et credatur dicto accusatoris cum eius sacramento.

CLXVI. *Quod salarium et expense non exigantur ab habente vel hostendente confessionem vel causam iustam non solvendi.*

Nullus exactor in civitate Mediolani nec extra possit aliquid extorquere vel habere nomine expensarum occaxione alicuius debiti, si ei confessio fuerit hostensa facta per eum, qui ad illud offitium fuerit deputatus, vel si aliquid apparere potest, propter quod debitum sit extinctum, vel propter quod illo tempore exigi non debeat; et si exactor contrafecerit, teneatur restituere in quadruplum id quod extortum fuerit, et expensas, et ulterius ipso facto ab offitio sit remotus.

CLXVII. *De pena offitialis exigentis in comitatu ab habitante in civitate Mediolani.*

Offitiales qui vadunt foras pro comuni Mediolani ad exigendum avere comunis Mediolani, non vadant foras pro exigendum ab illis, qui habitant in civitate Mediolani; et si iverint, nullas habeant expensas, et si quas receperint, in duplum restituant.

CLXVIII. *De offitio exactoris comunis Mediolani.*

Offitiales qui presunt et qui pro temporibus erunt exactioni pecunie comunis Mediolani fatiende,

teneantur et debeant modis omnibus et precixe exigere a quibuslibet aliquid debentibus comuni Mediolani quacumque causa, et qui in futurum debebunt, tantum illud quod dare debent et debebunt comuni Mediolani ex quacumque causa omnibus iuris remediis, quibus melius et velotius poterit exactio fieri, multam indicendo, personas et pignera capiendo, vendendo, detinendo, legiptima facta subastatione, et quicquid exactum seu consequutum fuerit occasionibus suprascriptis, predicti iudices teneantur et debeant curare et facere quod perveniat in comune Mediolani et non in aliquam aliam personam; et hoc precixe et sine tenore hoc modo, videlicet quod primo exigant et exigere debeant a potentioribus et ditioribus et mayoribus civitatis Mediolani et comitatus, et postmodum ab aliis, servato ordine cuiuslibet libri, anni et tituli et non per satiram [A].

CLXIX. *Quod exactores non se intromittant nisi de pecunia, que pervenire debet in comune Mediolani.*

Exactores qui preerunt exactioni comunis Mediolani, non debeant nec possint se intromittere de exactione aliqua fatienda de aliqua pecunia alicui data, vel de cetero danda vel concessa vel delivrata, nisi solummodo de illa pecunia, que pervenire debuit in comune Mediolani, nisi per presentia statuta aliter spetialiter fuerit provixum.

CLXX. *Quod exactor possit exigere penas, que tam in comune quam in alium pervenire debent.*

Dictus exactor qui preerit exactioni pecunie comunis Mediolani, possit et debeat exigere omnes

A « per saltum » fortasse intelligendum.

condempnationes et debita et penas, que in comune Mediolani partim et in alium vel alios partim pervenire debeant, et illam partem, que in alium vel alios pervenire deberet, ei vel eis dari facere teneatur.

CLXXI. *Quod exactores qualibet septimana debeant examinare et corrigere libros exactionis cum libris principalibus camere.*

Notarii deputati et qui de cetero deputabuntur offitio exactionis pecunie comunis Mediolani seu ad aliquam exactionem, que fiat pro comuni et nomine comunis Mediolani, teneantur et debeant saltem semel qualibet septimana examinare libros exactionis, qui sibi dati fuerint ad exigendum, cum libris principalibus camere comunis Mediolani, et omnes quos invenerint solvisse seu canzellatos fuisse super ipsis libris camere canzellarie, debeant canzellare et canzellent similiter in suis libris, sub pena librarum decem tertiolorum qualibet vice qua contra fecerint, ad quam compellantur sine alia condempnatione; cuius pene medietas perveniat in accusatorem seu notificatorem, et alia medietas in comune Mediolani, et ultra teneatur ad interesse dampnum passo.

CLXXII. *De licentia danda tribus de burgo et duobus de loco standi et morandi in civitate.*

Potestas et eius iudices possint et debeant dare licentiam tribus hominibus cuiuslibet burgi et duobus cuiuslibet loci, quod ipsi possint et debeant stare et morari in civitate Mediolani pro negotiis et causis burgorum et locorum suorum; ita quod occaxione alicuius debiti publici vel privati, de quo teneretur comune burgi vel loci sui, non possint capi nec

detineri aliquo modo per aliquem presidentem alicui offitio, nec per aliquam aliam personam exercentem iurisdictionem in civitate Mediolani; et si contra hoc caperentur, potestas et eius iudices debeant modis omnibus eos facere relassari.

CLXXIII. *Quod nullus compellatur ad solutionem pecunie vel oneris pro altero, nisi in statutis caveatur.*

Nullus civitatis vel comitatus Mediolani compelli possit ab aliquo iusdicente ad solutionem alicuius pecunie vel oneris pro altero, nisi reperiatur contrarium iure vel statuto cautum, et contra hoc non possit fieri proposta vel reformatio; et si contra fecerit, ipso iure non valeat nec teneat, et iusdicens seu offitialis qui contrafecerit, condempnetur in libris ducentum tertiolorum qualibet vice, et insuper potestas contra hoc proponens ipso iure pro condempnato habeatur in libris quinquecentum tertiolorum, et consiliarius in libris ducentum tertiol.; et iudex hoc facere debeat precixe et debeat servare, et non possit huic statuto in aliquo derogari per aliquod arbitrium, concessum vel concedendum alicui potestati vel offitiali [A].

A Statutum hoc revera executioni mandari eo tempore consuevisse probat decretum hoc ducale hac urbe datum XXVII die martii a. MCCCXCVIII: « Dux Mediolani etc. Tenorem accepimus tenoris » infrascripti, videlicet: Illustrissime dominationi vestre ducali » pro parte vestri miserabilis servitoris Beltrami Malgari habi- » tantis in loco de Monticellis plebis s. Donati ducatus vestri » Mediolani, ut cum sit descriptus et extimatus in monasterio » de Zelo suprascripte plebis etc.

» Disponitur quod ipse solvente portionem suarum talearum, » pro aliis non solventibus non molestetur etc. »

(Ex Cod. ms. Fagnani, pag. 86, v.° in Bibl. Ambr.).

CLXXIV. *Quod relassatus a carceribus pietatis intuytu ipsa occaxione ulterius non capiatur.*

Si quis relassatus fuerit a carceribus intuytu pietatis pro debito comunis Mediolani, non possit ipsa occaxione ulterius capi nec impediri [A].

CLXXV. *De regressu exigendi et consequendi, quem habet captus vel robatus vel coactus pro alio.*

Quilibet qui stetit vel stabit captus vel robatus seu coactus pro aliquo comuni, universitate vel singulari persona ad instantiam comunis Mediolani vel alicuius offitialis ipsius comunis, possit omne et totum id quod eum solvisse reperiatur, vel rationabiliter expendidisse pro eo comuni, universitate vel singulari persona, consequi et exigere, ac si esset comunis Mediolani, et quod talem habeat actionem, qualem habet comune Mediolani in creditis suis.

CLXXVI. *Quod relassatus pro eo quod non potuit capi, ipso die ulterius non capiatur.*

Aliquis qui pro eo quod captio de eo facta non teneat, vel alia occaxione a carceribus relassetur, non possit pro aliquo debito publico vel privato capi personaliter ipso die.

CLXXVII. *Quod detentus pro debito publico non possit contestari.*

Aliquis qui pro debito publico detineatur, non possit pro aliquo alio debito contestari; et si contra fieret, non valeat.

CLXXVIII. *De minoribus annis decem octo et mayoribus sexaginta et mulieribus non detinendis.*

Minores annis decem octo nec mayores sexaginta

A « Vide statutum de sequestratione captivi notificanda » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II. 20).

nec mulieres bone fame detineri non possint pro aliquo debito publico nec privato [A].

CLXXIX. *Quod exactio condempnationis vel pecunie non fiat per pronuntiantem* [B].

Nulla exactio alicuius condempnationis nec pecunie, que pervenire debeat in totum vel pro parte in comune Mediolani, exigatur per eum iudicem vel offitialem, qui eam fecerit vel pronuntiaverit aliquo modo.

CLXXX. *Quod salarium exactoris solvatur campsori et non exactori.*

Offitiales et exactores presentes et futuri, qui habent vel de cetero habebunt exigere pecuniam comunis Mediolani, nihil petere, exigere, recipere nec consequi possint nec debeant pro eorum salario ab aliqua persona, comuni, collegio vel universitate, sed contenti esse debeant de salario sibi ordinato per comune Mediolani; salvo quod si contingerit offitialem seu exactorem non salariatum constitui ipsi exactioni, quod possit et debeat recipere salarium de eo, quod fecerit pervenire et pervenerit in comune Mediolani tantum et non ultra, de manu campsoris constituti per comune Mediolani et non aliter; que omnia et singula quilibet offitialis vel exactor observare teneatur, sub pena in statutis comprehensa qualibet vice, quam incurrat ipso facto, si per eum contra factum fuerit; et quilibet possit

A « Hoc statutum est speciale, ita quod etiam si aliquo statuto » concedatur personalis exequutio contra aliquem, non habeat » locum in muliere secundum Baldum, q. 187 in LI parte » (*Nota in Cod.* B. 19).

B « per pronunciationem » (*Cod.* B. 19).

accusare seu notificare, et credatur eius sacramento, qui solverit, cum uno teste fide digno, et habeat medietatem dicte condempnationis.

CLXXXI. *De eodem.*

Nullus exactor vel offitialis possit petere nec recipere salarium nec aliquid sub pretextu salarii vel remunerationis ab aliqua singulari persona, comuni vel universitate, sed quicquid solvendum est tam pro sorte quam pro salario et remuneratione, solvatur campsori, et campsor solvat offitiali, secundum quod debet, et scribat campsor in confessione quod recepit pro salario.

CLXXXII. *De crida que fieri debet facto incantu.*

Facto incantu per aliquem offitialem comunis Mediolani de pignoribus dicti comunis ad petitionem dicti comunis acceptis, fiat crida ad schalas palatii novi comunis Mediolani mandato dicti offitialis vel exactoris averis comunis Mediolani, quod pignera per talem offitialem robata sunt incantata, et quod illi, quorum erant dicta pignera, possint ea recuperare infra quindecim dies, et exigi et recuperari facere, restituendo incantatori pretium incantus et expensas legiptimas per incantatorem passas, et prout dispositum est in statutis comunis Mediolani.

CLXXXIII. *De pigneribus robatis nomine comunis consignandis ad cameram.*

Pignera que robabuntur in civitate et infra corpora sanctorum per aliquem offitialem comunis Mediolani vel eius nuntium pro debito comunis Mediolani, debeant eo die, quo derobata fuerint vel die sequenti iuridica, perhemptorie consignare saltem in scriptis ad cameram comunis Mediolani penes

canevarium seu offitium canevariorum, et causam propter quam robata sunt, sub pena offitiali robatori infamie; et ultra cogatur statim per dominos sex absque alia condempnatione fatienda solvere canevariis comunis Mediolani libras decem tertiol. in pecunia numerata sine compensatione, vel quod saltem ponatur ad catenas palatii incluxus cum collo per medium arenghariam, ubi stet uno die completo; et nichilominus antequam permittatur de virtute comunis Mediolani, solvat ipsam penam, et sit ipso iure infamis; et notarius [A] eius non permittatur recedere, donec solverit soldos quadraginta tertiolorum, et servitor sol. decem tertiol., et ultra nullo tempore ille talis offitialis et robator non possit exercere aliquod offitium pro comuni Mediolani vel occaxione comunis Mediolani, et si exercuerit, possit per quemcumque offendi in avere et persona.

Illa vero pignera que robata fuerint, ut supra, in comitatu Mediolani, debeant infra secundam diem, ut supra, ex quo redierint ad civitatem, consignari vel saltem in scriptis dari canevariis seu canevayrolis comunis Mediolani sub predictis penis.

CLXXXIV. *Quod offitiales exactionis scribi fatiant in libris suis nomina et cognomina et habitationem et causam capti vel robati.*

Quilibet offitialis habens vel habiturus offitium in civitate vel comitatu Mediolani exactionis pecunie comunis Mediolani ad exigendum pecuniam, teneatur et debeat scribere vel scribi facere in libris suis nomen et cognomen et portam et parochiam vel

A « civis » *(in Cod. eod.)*.

plebem, fagiam vel locum cuiuslibet derobati vel capti, et causam quare derobavit vel cepit, et ultra hoc omnia pignora et res et personas captas in civitate et suburbiis Mediolani consignare inconti-nenti vel ipsa die vel proxima sequenti iuridicha, qua fuerint derobata vel capta, canevayrolis seu ad cameras comunis Mediolani, sub penis in statutis comunis Mediolani contentis; salvo si robaretur vel caperetur in sero, teneatur consignare summo mane.

CLXXXV. *De pigneribus derobatis nomine comunis consignandis in scriptis ad cameram.*

Ad removendas fraudes et causas et malitias, que sepissime comittuntur ad cameram comunis Mediolani, omnia pignera que robabuntur pro debitis comunis Mediolani, debeant consignari in scriptis per exactorem canevayrolis comunis Mediolani in presentia unius vel plurium ex dominis sex, et quod illa pignera statim debeant alligari et sigillari sigillo dominorum sex et sigillo offitialis exactoris, et taliter describantur et notentur taliter, quod cavillari [A] nec fraudari possint, et si fuerint res ponderande, ponderentur, et si numerande, numerentur, et mensurande, mensurentur; et si per canevarios vel canevayrolos comunis ipsa pignera non fuerint salvata, usque quo petita fuerint et data, sed cambiata, diminuta vel fraudata fuerint vel impignorata, puniatur et condampnetur canevarius pro prima vice in libris quinquaginta tertiol. et ad restitutionem rerum, cuius medietas sit passi dampnum et alia comunis; pro secunda vero vice teneatur ad duplum

A « cambiari » *(In Cod. eod.)*.

et infametur, nec preceptum dominorum duodecim nec alterius eos canevayrolos excuset ad impignorandum pignera, que teneantur ut supra.

CLXXXVI. *Quod non fiat incantus de rebus comunis sine presentia unius ex dominis sex, et de ordine scribendi incantus.*

Nullus offitialis exercens iurisdictionem in civitate vel comitatu Mediolani possit facere incantum de aliqua re, nisi in presentia unius ex dominis sex, sub pena librarum decem tertiolorum qualibet vice; qui ex dominis sex debeat habere secum notarium suum et canevayrolum, qui debeant scribere omnes incantus particulatim scribendo dictos [A] incantus et nomen incantatoris, et illius, cuius fuerit res incantata, et rem incantatam et pretium et nomen offitialis, per quem data res fuerit robata, et causam quare illa res fuit robata; et quod ille ex dominis sex teneatur cum illo canevayrolo et notario in continenti dare in scriptis dictum incantum de re in rem canevarii comunis Mediolani, sub pena librarum decem tertiolorum qualibet vice; et quilibet incantus legatur in fine mensis in ratione canevayroli pro fraudibus removendis; et si in aliquo fuerint negligentes in premissis vel aliquo eorum, componat comuni Mediolani quilibet ipsorum solidos centum tertiol. qualibet vice sine condempnatione, et teneatur servare indempnem illum, cuius interest vel interesse potest.

CLXXXVII. *De illis qui debent esse, quando fiunt incantus.*

Nulla pignera robata per aliquem offitialem co-

A « diem » *(Cod. eod.)*.

munis Mediolani, nec res que sunt comunis Mediolani, vel quocumque modo pervenerint ad comune Mediolani, possint ullo modo vendi vel alienari nisi sub forma infrascripta, videlicet quod adsint offitiales, qui derobaverunt ipsa pignera, vel eorum successores, exactor comunis Mediolani, vel si sint res alie comunis Mediolani, vel que pervenerint in comune Mediolani, quod adsit aliquis ex iudicibus potestatis, et duo ex dominis sex, et unus eorum notarius, et unus ex canevariis comunis Mediolani, et unus eorum notarius, et quod scribantur res vendite et earum pretium in uno libro dominorum sex, et in libro dictorum canevariorum; pretium quarum rerum solvatur canevario comunis Mediolani, aliter suprascriptarum rerum facta venditio non valeat ipso iure in preiuditium comunis Mediolani; et ultra hoc quilibet offitialis contrafatiens condempnetur in libris centum tertiol. qualibet vice; et quilibet possit accusare, et medietas sit accusatoris, nec per hoc derogetur aliis statutis de simili loquentibus.

CLXXXVIII. *Quanto tempore pignera debent stare ad cameram, antequam incantentur.*

Nullum pignus possit incantari, nisi steterit ad cameram comunis Mediolani per octo dies, infra quos octo dies possit contradici, si velit dici iniuste esse derobatum; salvo quod animalia possint, elapsa defensione cride trium dierum, incantari, si non iuste defendantur.

CLXXXIX. *De scripto dimittendo per offitialem ad domum derobati.*

Quilibet offitialis comunis Mediolani, qui aliquem derobaverit pro comuni Mediolani, teneatur et

debeat dimittere in scriptis gratis domi eius quem derobaverit, nomen suum, causam debiti, propter quam derobaverit, et res derobatas et quamlibet earum, quod scriptum sit subscriptum manu ipsius offitialis seu notarii, et habeat hec omnia in capitulis comprehensa sub predictis penis et bannis; et in predictis omnibus possit per dominum potestatem et quemlibet eius iudicem ad malefitium et per dominos sex per offitium procedi, puniri et condempnari.

CXC. *Quod denarii pignerum incantatorum scribantur ad debitum, cuius occaxione robata fuerint.*

Denarii qui accipientur ex pigneribus, que incantata fuerint, ponantur per campsorem seu receptorem ad rationem debiti eorum, qui robati fuerint, in libro principalis debiti, et hoc sine aliquo precepto, et hoc infra octo dies, si receptum factum fuerit in civitate, et si in comitatu, infra mensem sub pena dupli, si in termino non posuerint; et si cessaverit post mensem a fine offitii, puniatur in quadruplum; et hoc teneantur curare cum effectu domini sex et canevarii comunis Mediolani et eorum notarii et illi offitiales, qui ea pignera robaverint, sub pena soldorum centum tertiol. pro qualibet vice [A].

CXCI. *Quod pignera incantata possint exigi infra quindecim dies post cridam factam de incantu ipsorum pignerum.*

Quilibet qui de pigneribus vel rebus comunis Mediolani, etiam si cecidissent in comissum, emerit ad incantum, teneatur infra quindecim dies postquam

A « pro quolibet eorum » *(Cod. eod.)*.

ea emerit, et crida de incantu ipsorum pignerum fuerit facta, ei restituere, cuius ea fuerunt, antequam ad commune Mediolani pervenirent, seu alii pro eo exigere volenti de eius mandato, pro tanto pretio, pro quanto emerit, et expensas quas propterea passus fuerit, et ad computum denariorum sex pro libra, si debitum fuerit a decem libris infra, a decem vero libris supra pro denariis quatuor pro libra; et ille qui ipsa pignera seu res non restituerit satisfatienti ut supra, condempnetur in libris decem tertiol., medietas cuius perveniat in illum, cuius fuerint pignera, et nichilominus compellatur dicta pignera restituere; et terminus valendi exigere dicta pignera unquam incipiat currere, nisi prius facta fuerit dicta crida, ut supra.

CXCII. *Quod pignera indebite robata restituantur sine expensis et extorsione.*

Pignera robata seu accepta et que amodo accipientur per aliquos iudices exactores seu quoscumque offitiales comunis Mediolani alicui, qui repertus fuerit solvisse id pro quo robatus est, vel qui de iure robari non debuit, reddi et restitui debeant sine aliqua expensarum solutione seu extorsione pecunie, nec teneantur huiusmodi derobati aliquid dare notariis pro relassatione nec servitoribus nec servientibus, stipendiariis, canevariis nec servitoribus, pro recuperatione huiusmodi pignerum; et si aliquis predictorum aliquid receperit ab aliquo derobato ut supra, condempnetur exactor in libris decem tertiolorum, et notarii in soldis centum tertiol., et canevayrolus in sol. sexaginta tertiol., et servitor et stipendiarius in soldis viginti tertiol. pro quolibet et qualibet vice,

et ultra ad restituendum robato id quod inde acceptum fuerit; et quilibet possit accusare seu notificare, et habeat medietatem condempnationis, et quilibet iudex possit et teneatur ex offitio procedere et executioni mandare sine aliquo processu.

CXCIII. *Quod nullus stipendiarius vel offitialis comunis possit incantare de datiis et pigneribus comunis.*

Non possit aliquis stipendiarius vel offitialis comunis Mediolani vel domini, salariatus vel non, incantare nec incantari facere aliquod datium, gabellam vel pedagium vel introitum nec aliquid aliud de pigneribus vel rebus comunis Mediolani vel pro comuni Mediolani venditis, nec aliquas notas nec debita comunis Mediolani, et si contrafieret [A], non valeat, et condempnetur in duplum; et quilibet possit accusare seu notificare, et habeat medietatem condempnationis, que fieret proinde.

CXCIV. *Quod nullus forasterius possit emere pignera ad incantum.*

Nullus forasterius possit emere pignera ad incantum per se vel per alium, sub pena librarum decem tertiolorum, et ultra teneatur restituere id quod incantaverit, sine aliquo pretio ei cuius sunt, sub predicta pena.

CXCV. *De satisdatione superstitum carcerum et eorum offitio.*

Superstites quicumque carcerum teneantur satisdare de libris decem millibus tertiol. cum bonis et ydoneis fideiussoribus coram dominis sex camere

A « contrafecerit » (*In Cod.* B. 19).

de custodiendo bene et legaliter omnes carceratos, qui consignati fuerint sibi, vel in dictis carceribus, et de ipsis carceratis in fine offitii sui consignandis domino potestati vel alii iusdicenti seu suo successori, qui in illo offitio fuerit constitutus vel relassetur, et de solvendo comuni Mediolani per tempora ordinata denarios sui incantus, et de non accipiendo ultra . . . . eis concessa per statuta comunis Mediolani, et de servando et servari faciendo tam per se quam per alios conversantes ad ipsos carceres omnia statuta comunis Mediolani, sub pena ad domini potestatis voluntatem aufferenda; que satisdatio fiat per unum ex notariis dominorum sex vel unum alium notarium ex notariis de pilastro, prout dictum est de satisdatione campsorum eligendorum per ipsum dominum potestatem, et eam satisdationem teneatur dominus potestas facere registrari ad cameram comunis Mediolani, sub pena librarum centum tertiol. ipsi domino potestati de suo salario retinenda pro qualibet satisdatione non registrata. Qui superstites habeant pro sua custodia secundum infradictum modum, videlicet pro custodia cuiuslibet carcerati pro introytu, stallatico, luminerio et lecto denarios sex tertiol. pro quolibet die et nocte et non ultra, et pro bogiis ponendis et trahendis possint haberi a quolibet carcerato denarios duodecim tertiol. et non ultra, et pro stallaticho cuiuslibet bestie denarios quatuor pro qualibet vice in die et nocte; et quilibet cuius fuerint dicte bestie, possit emere et habere cibum et potum sui et bestiarum suarum undecumque voluerit ad sui voluntatem; et ea occaxione non possint dicti custodes

eos in aliquo molestare; et si contrafecerint, teneatur dom. potestas condempnare contrafatientem in libris centum tertiol. qualibet vice qua contrafecerint, et ad restituendum carcerato et illi, cuius forent bestie, quicquid ei ablatum fuerit contra predicta in quadruplum; et quod quilibet possit accusare seu notificare, et habeat medietatem, et credatur sacramento eius cum uno teste, et nichilominus sit privatus ipso iure a dicto offitio et omni iure sibi pertinenti in dicto offitio vel eius occaxione absque aliqua restitutione, ipso contractu in sua firmitate manente in preiudicium custodum sive custodis; et quilibet iusdicens in civitate Mediolani teneatur et debeat inquirere, procedere et condempnare ex offitio suo, et ipsam condempnationem executioni mandare omnibus iuris remediis contra ipsum et eius fideiussores et cuiuslibet eorum bona; et si aliquis dictorum iusdicentium fuerit negligens vel remissus in aliquo predictorum, condempnetur in libris centum tertiol. qualibet vice; et quod de predictis vel quolibet predictorum dominus potestas et eius vicarius et quilibet eorum possint, debeant et teneantur inquirere, procedere et condempnare et exigere contra quemlibet et a quolibet predictorum iudicum negligentium vel remissorum in aliquo predictorum, sub pena librarum quingentarum tertiolorum sui salarii, de qua possint et debeant sindicari; et vicarius domini potestatis teneatur omni mense inquirere a carceratis et ab aliis contra superstites et alios ibidem utentes, et eos punire et condempnare, et quilibet possit notificare et habeat medietatem.

CXCVI. *Quod omnes superstites et custodes carcerum et sui offitiales et gerentes pro eis teneantur ad ordinamenta facta de superstitibus carcerum.*

Ad ordinamenta de superstitibus carcerum tam pro solutione quam aliis quibuscumque teneantur omnes superstites et omnes custodes carcerum et sui offitiales et gerentes pro eis, tam ad carceres Malestalle [A] quam Malpage Rizii, palatii dominorum duodecim, turris et ubicumque velint custodiri et custodiantur in civitate vel extra.

CXCVII. *De remuneratione superstitum carcerum.*

Hospes qui non sit superstans carcerum, possit habere et habeat pro introytu et stallaticho et lecto a quolibet [B] capto denarios sex tertiol. in die et nocte et non ultra, et captus possit emere et recipere cibum et potum undecumque voluerit, et hospes habere possit a quolibet capto denarios duodecim tertiol. et non ultra pro bogis ponendis et trahendis; et si contra factum fuerit per hospites vel servitores, teneatur potestas Mediolani contrafactores condempnare qualibet vice in soldis centum tertiol. qualibet vice, et ad restituendum capto quicquid ei plus ablatum fuerit; et quilibet possit accusare, et medietas sit accusatoris, et alia medietas sit comunis Mediolani pene suprascripte, et adhibeatur fides cuilibet capto cum sacramento eius et uno teste fide digno, si predicti hospites plus receperint quam supra

A Carceres Malaestallae erant non procul ab ecclesia hyemali s. Mariae et prope turrim Credentiae s. Ambrosii in paroecia ss. Leonardi et Galdini. Aliae ad portas civitatis et sub scalis palatii novi communitatis exstabant carceres.

B « quocumque » (*In Cod.* B. 19).

scriptum est; et de predictis teneatur potestas seu iudex inquirere omni mense, si contrafactum fuerit.

CXCVIII. *De pena superstitum carcerum, qui relassarent carceratum extra domum carcerum.*

Superstites carceratorum seu carcerati non possint aliquo modo relassare extra domum ipsius carceris aliquem captum [A] in dicto carcere ex precepto domini potestatis vel alterius iudicis, sine licentia ipsius potestatis vel illius iudicis, cuius precepto captus fuerit, vel sui successoris; et si contrafecerint, teneantur dicti superstites, videlicet si fuerit captus pro debito, condempnetur in decimam partem eius debiti qualibet vice, qua repertum fuerit ut supra et denuntiatum, que pena perveniat pro medietate in illum, ad cuius petitionem captus fuerit, et reliqua medietas in comune Mediolani absque aliquo processu; et si ex causa maleficii, teneatur ad id et illud supplitium, ad quod teneretur carceratus taliter relassatus, si ad terminum consignandum non consignaverit eum; et si non consignaverit, condempnetur, si ingeratur pena sanguinis, in libris quinquecentum tertiol., et si non ingeratur, in quarta parte eius, in quo ipse carceratus tenetur.

CXCIX. *De expensis cibi et potus carcerati, et quantum potest consequi ea occaxione.*

Aliquis detentus vel qui amodo detineatur in carceribus pro aliquo comuni vel universitate vel singulari persona vel occaxione alicuius fideiussionis, non debeat expendere in cibo et potu ultra soldos quatuor tertiol. in die, et aliquod comune,

A « captivum » *(In Cod. praed.)*.

universitas seu plebs vel singularis persona non possit compelli solvere ultra solidos quatuor tertiol. in die pro expensis cibi et potus per aliquem, qui steterit captus vel detentus ea occaxione ut supra, non obstante aliquo statuto in contrarium loquente.

CC. *Quod superstites carcerum non possint consequi ultra sol. quatuor tertiol. in die pro expensis cibi et potus carcerati.*

Hospites seu superstites tenentes carceres non possint per se nec per submissam personam petere, accipere, habere nec consequi ullo modo a captivis pro cibo et potu quolibet die ultra sol. quatuor tertiol., sub pena librarum decem tertiolorum qualibet vice.

CCI. *Quod superstites non cogant aliquam personam stare ad pastos.*

Ad resistendum malitiis superstitum carcerum, superstites nec alii nullo modo cogant aliquam personam stare ad pastos nec ad aliquas expensas, nisi secundum quod ordinatum est per statuta, et hoc sub pena librarum vigintiquinque tertiol. superstitibus pro quolibet carcerato. Et intelligatur quilibet carceratus cogi stare ad pastos, nisi per protestationem cuiuslibet carcerati factam qualibet ebdomada coram examinatoribus [A] appareat eum carceratum velle stare ad pastos; cuius pene medietas perveniat in carceratum et reliqua in comune Mediolani, et ipse carceratus ab ipsis expensis sit absolutus, et pro eis in aliquo non teneatur.

A « exactoribus » *(In Cod. eod.)*.

CCII. *De auxilio prestando captis pro alio vel aliis, ut relassetur et conservetur indempnis.*

Quilibet captus hinc retro, vel qui de cetero capi contingerit pro aliquo comuni burgi vel loci vel universitate aliqua vel singulari persona, debeat adiuvari efficaciter per dominos potestatem vel eius iudices et alios quoscumque exercentes iurisdictionem in fatiendo virilem processum omnibus modis, tamquam si esset avere comunis Mediolani contra comune, universitatem et singularem personam, pro quo vel qua captus fuerit, contra quamlibet personam illius burgi vel loci vel universitatis, ita quod ab omnibus expensis licitis per eum factis ea occaxione servetur indempnis.

Idem per omnia servetur, si quis de aliqua parochia, burgo vel loco, cassina vel molandino fuerit derobatus pro aliquo debito parochie seu comunis burgi, loci, cassine vel molandini vel universitatis vel singularis persone.

CCIII. *De pena superstitum, qui permiserint fugere aliquem carceratum.*

Si contingerit quod aliqui de carceratis fugerint a carceribus, potestas teneatur et debeat punire et condempnare superstites in persona vel rebus secundum qualitatem facti et personarum, prout sibi videbitur, et quod alius carcer non habeatur nec teneatur in civitate vel comitatu Mediolani per aliquem offitialem comunis Mediolani, nisi quando concedatur per offitium provixionum, sub pena pro quolibet qui hoc faceret, librarum quinquaginta tertiol. qualibet vice; et de hoc dominus potestas et vicarius domini Mediolani et vicarius dicti domini

potestatis et iudex malefitiorum et quilibet eorum teneantur inquirere et punire ex notificatione cuiuslibet hoc sibi referentis.

CCIV. *De pensione carcerum sustinenda per superstites.*

Superstites dictorum carcerum teneantur et debeant solvere et sustinere pensiones quorumcumque carcerum, et solvere omnes expensas, quas occaxione custodie ipsorum carcerum et carceratorum fieri contingerit.

CCV. *De remuneratione hospitum seu superstitum carcerum pro bestiis derobatis, contestatis vel in depoxitum positis.*

Hospites seu superstites tenentes per tempora bestias derobatas, contestatas vel in depoxitum poxitas habere possint et consequi ut infra et non ultra, sub pena soldorum decem tertiol. pro quolibet imperiali, quem plus acceperint; videlicet pro qualibet bestia grossa pro stallaticho, pastura feni, quod sit ad minus librarum decem feni, et pro servitio et abeveratura quolibet die et nocte simul imperiales quindecim, et si fuerit equus, imper. decemocto; et quod non debent dare granum seu rationare non possint pro dato, nisi petitum fuerit; et pro qualibet bestia minuta imper. tres et non ultra sub predicta pena, et teneantur ipsi hospites pro illo pretio eas bestias, si eas recipere voluerint ad hospitandum, bene pascere, stabiare et servire suis expensis; et pro aliquo agno, vitulo vel equo de lacte nihil debeat exigi pro pastura sub dicta pena.

CCVI. *De penna superstitum carcerum, si non tenuerint carceres netas a putredine et fornitas palea aut lectis.*

Quia plures et plures a pauco tempore citra in carceribus propter gravamina superstitum carcerum perierunt, vel pedes perdiderunt propter frigus et gravamina, statuitur quod superstites carcerum, qui sunt et pro temporibus erunt, teneantur et debeant suis expensis habere in ipsis carceribus et dare omnibus carceratis, ubicumque detineantur, sive ad carceres comunis, sive in pallatio, sive in carceribus aliis domini vel comunis Mediolani, sive extra civitatem vel alibi, paleas aut lectos pro iacendo ad sufficientiam, et teneantur et debeant tenere suis expensis carceres netas a putredine, prout erit conveniens, sub pena in quolibet casu librarum vigintiquinque tertiol. qualibet vice; et de predictis et quolibet eorum stetur sacramento duorum vel trium ex carceratis, ad quę omnia et singula compellantur per vicarium domini potestatis sub pena librarum vigintiquinque tertiolorum.

CCVII. *Quod potestas et dominus exgravator teneantur omni ebdomada mittere ad visitandum carceratos et gravamina que fiunt carceratis, et super eis procedere.*

Potestas Mediolani, qui per tempora erit, teneatur et debeat omni ebdomada mittere una cum duobus ex dominis sex camere ad inquirendum et describendum illos, qui sponte volunt stare ad pastos, et super eis procedere, punire et condempnare, inspecta qualitate facti, sub pena librarum vigintiquinque tertiol. qualibet vice; ad que describenda

mittatur unus ex notariis forasteriis malefitiorum, qui ea describat sine aliquo pretio, et illud idem teneatur mittere ad inquirendum qualibet ebdomada dominus exgravator comunis Mediolani, vel alius ex vicariis domini, qui per tempora erunt, ad carceres domini et curie et comunis Mediolani.

Idem teneantur facere vicarii comitatus in terris, ubi tenentur carceres.

CCVIII. *De pena superstitum carcerum inferentium gravamina carceratis.*

Superstites carcerum nec aliqui alii morantes in eis carceribus non inferant nec inferri permittant gravamina illicita aliquibus carceratis, ut puta paleam subtrahendo vel denegando ad sufficientiam, vel eos in cepo tenendo, nisi forte contra eos procedatur in sanguine; et tunc fiat ut eis precipietur, nec apponant nec permittant apponi alicui ultra unum par bogarum [A] sive unam bogam in duobus pedibus, nec aliquem gravare [B] aliquo speciali loco, quin de de die possit ire per curiam carceris; nec denegent alicui carcerato quin possit recipere et habere potum et cibum, et etiam in necessitatibus ut alii debent, sub pena arbitrio domini potestatis et vicarii domini Mediolani et cuiuslibet eorum, qui per tempora erunt, in avere et persona, vel avere vel persona tantum, inspecta qualitate negotii; et de predictis omnibus

A Boga et boia, germ. *boge* et *boie*, intelligitur compes aut torques vinctorum ferrea aut lignea, vel etiam catena, qua pedes tenentur ligati, vel ferrum, qua olim etiam captiva mancipia strictis collis et manibus agebantur. Ex hoc itali vocem *boia* pro carnifice seu tortore accepisse videntur, quippe qui in *boias* reos mittit ac coniicit.

B « gravem » *(In Cod. eod.)*.

et singulis possit et debeat per dominum potestatem et eius iudices malefitiorum ac per vicarium domini Mediolani et per quemlibet eorum, qui per tempora erunt, ex offitio inquiri, procedi, puniri et condempnari ac exigi et executioni mandari summarie per inditia, argumenta, presumptiones et examinationes fiendas, prout melius videbitur.

CCIX. *De eodem.*

Si contingerit quod aliquis carceratus pro pecunia extorquenda vel subtrahenda vel habenda sine spetiali licentia iudicis, cuius precepto fuerit captus, ponatur vel teneatur in aliqua parte putrida vel graviori, quam alii ponuntur, vel alio modo illicite fortiter agravetur absque licentia, ut supra, superstans et ille qui sic gravaverit, capite puniatur tamquam carcerem privatim exercens, vel aliter minori pena in avere vel persona arbitrio domini potestatis, inspecta qualitate facti.

CCX. *Quod nullus aufferat capuzium nec drapum alicui carcerato.*

Cum quis erit consignatus superstiti vel alii pro eo captus vel consignatus ad carceres, nullus audeat nec presumat auferre capuzium nec drapum eidem, nec ab eo aliquo tituto, causa vel colore; et si quis contra fecerit, condempnetur in libris decem tertiol., et teneatur et compellatur de facto in continenti restituere. Ad que omnia teneantur superstites et eorum fideiussores, et compellantur de facto per vicarium domini potestatis vel vicarium provixionum vel exgravatorem[A], sub pena librarum vigintiquinque tertiolorum.

A Exgravatoris officium instituit Luchinus Vicecomes, quod auctoritate pollens et optimis beneficiis clarum bene de republica

CCXI. *De remuneratione superstitum pro captis ex privata causa.*

Quia sepe contingit quod aliqui pro parvis condictionibus detinentur, qui velociter relassantur, a quibus exiguntur magne expense pro introytu, potestaria et multis aliis illicitis occaxionibus, que ascendunt sepe ultra quam sit principalis causa, pro qua detinentur, statuitur quod pro introytu et exitu non exigatur aliquid ultra imper. quindicim ad supertotum; et hoc si non steterint capti ultra dies tres, et aliter non, et pro bogis ponendis et trahendis habeant denarios duodecim tertiol., et nullus debeat in cepo poni, nisi sit detentus pro malefitio, ex quo pena sanguinis ingeratur.

CCXII. *De hiis qui non possunt incantare carceres, nec habere partem in datio carcerum.*

Nullus captus seu scriptus ad carceres pro capto possit carceres incantare nec incantari facere, nec datium carcerum habere, nec etiam possit esse fideiussor superstitis seu incantatoris carcerum; et si quoquo modo contra fieret, non valeat; et hoc statutum sit precisum, et non possit eidem renuntiari.

CCXIII. *Quod superstites carcerum suis expensis fatiant exportare et sepeliri pauperes mortuos in carceribus.*

Superstites carcerum teneantur facere exportari et sepeliri suis expensis omnes carceratos mortuos in

meruit. Exgravator extraneus huic civitati esse debebat et familiam domesticam secum habere prohibitus erat. Ei summaria ac sine omni appellatione querelarum eorum civium cognitio ac decisio competebat, qui a quovis ministro aut iudice se indebite gravatos crederent, atque ut recte iustitia cuilibet ministraretur, cavere ipse tenebatur.

carceribus, et ipsos exportari facere, cum decesserint, si ipsi carcerati non habeant unde possint sepeliri suis expensis, sub pena librarum vigintiquinque tertiolorum pro quolibet; et hoc intelligatur esse tacite in conventione incantus.

CCXIV. *De uno magno carcere hedificando.*

Per vicarium et duodecim presidentes offitio provixionum ordinetur et provideatur, quod in loco apto et ydoneo reperiatur locus ydoneus, in quo fiat unus carcer magnus et ydoneus, ubi possint recludi homines capti et qui de cetero capientur; qui carcer habeat multa diverticula, secundum quod expedit, pro reponendo separatim homines captos, secundum statum cuiuslibet.

Item per idem offitium provixionum ordinetur et provideatur, quod fiat alius carcer pro reponendo mulieres captas et capiendas cum honesta custodia, in quo etiam carcere sint plura et diversa loca, ita quod honeste et nobiles mulieres reponantur in certo loco adeo ab aliis separato, quod mulieres debilis condictionis in ipso carcere existentes non possint accedere ad presentiam aliarum honestarum mulierum, et in eo carcere ponantur ipse mulieres in diversis locis, secundum qualitatem et conditionem earum.

Item quod camera exigua carceris [A] Malestalle, que est paleata, in qua facte sunt stationes, reducatur ad comune Mediolani et ad ipsos carceres, cum vehementissime illa camera sit necessaria, ubi sunt ipse stationes, pro aere et residentia portieri [B],

A « camera magna carcerum » (*Cod.* B. 19).
B « et porticu » (*In Cod. eod.*).

et quia residuum ipsius camere effectum est inutile propter ipsas stationes; et hoc non obstante aliqua investitura nec concessione alicui facta.

Item de omnibus aliis domibus et prediis comunis concessis vel investitis alicui persone, comuni, collegio vel universitati, si usu publico vel comuni Mediolani ipse domus vel predia essent necessarie vel necessaria.

CCXV. *De cura habenda per fratres hospitalium, quod carcerati decedentes in carceribus sepeliantur.*

Fratres hospitalis brollii, de la Columbeta, hospitalis novi et quatuor Mariarum debeant curam habere fatiendi, quod carcerati decedentes in carceribus sepeliantur, et hoc similiter curetur per vicarium offitii provixionum et potestatis et quemlibet eorum.

CCXVI. *Quod quilibet burgus, locus et cassina possit habere consules, procuratores, sindichos et offitiales.*

Quilibet burgus, locus et cassina possit facere et habere suos consules, procuratores, sindichos et offitiales, qui sint de ipsa universitate, et prout habere consueverunt, et advocatos, iurisperitos et sindichos ad causas, qui sint de civitate vel comitatu Mediolani, dum tamen non fatiant predictos consules, procuratores, sindichos et offitiales in fraudem; qui consules et offitiales habeant iurisdictionem, sicut comune illius universitatis habet per statuta comunis Mediolani, et possint exigere suas taleas et onera, et constituere inter se suos camparios et canevarios et offitiales, qui exerceant secundum quod per comune Mediolani concessum est. Et nullus alius possit

aliquo modo in eis exercere ultra formam comprehensam in statutis comunis Mediolani.

CCXVII. *De auxilio dando consulibus et offitialibus terrarum ad exigendum et fatiendum taleas suas.*

Potestas Mediolani et quilibet iusdicens teneatur dare auxilium cum effectu consulibus et offitialibus cuiuscumque universitatis, comitatus, districtus, diocexis et iurisdictionis comunis Mediolani ad exigendum et fatiendum suas taleas et facultates, et ad regimen suum viriliter exercendum.

CCXVIII. *Quod nullus forasterius possit esse rector alicuius terre comitatus.*

Nullus forasterius possit esse potestas nec vicarius nec rector alicuius burgi vel loci vel cassine comitatus Mediolani, nisi specialiter per dominum Mediolani constituatur.

CCXIX. *De iurisdictione concessa comunibus burgorum et locorum comitatus Mediolani.*

Quodlibet comune burgi usque ad libras decem tertiol., et comune loci usque ad soldos centum tertiol., iurisdictionem habeat inter suos vicinos [A]; et quod nullus potestas, vicarius vel alius offitialis alicuius burgi vel loci, quocumque nomine censeatur, possit cognoscere de aliqua causa excedente predictas quantitates, et quod actor non possit petere coram potestate, vicario vel offitiali alicuius burgi vel loci

A « Vide decretum de iurisdictione, capitaneis et officialibus ducatus edditus die 22 octobris 1385.
» Item decretum de bailia et potestate concessis capitaneis » et offitialibus ducatus et potestati Mediolani die 15 iullii anni » suprascripti » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II. 20).

ultra predictas quantitates, et si ultra petierit, cadat a iure suo; et si in fraudem dicti statuti divideret ius suum, puta petendo quartam vel tertiam aut aliam quantitatem minus quam sibi debetur, ita quod si universale debitum ascenderet ultra quantitates predictas, ille qui partem petierit coram iusdicente in illo burgo vel loco, ipso iure privatus sit toto iure illius debiti; hoc semper intellecto, quod quelibet comunia burgorum et locorum comitatus Mediolani possint a quibuslibet de terra sua exigere omnes et singulas taleas inter eos et per eos factas et condempnatas, et onera sui comunis; et ad hec executioni mandanda quilibet iusdicens, qui ad hoc fuerit requisitus, teneatur concedere servitorem et famulos, et dare pro posse auxilium et favorem; salvo quod comunia, de quibus fit mentio in statuto incipiente «Comune burgi Leuci», et rectores eorum possint cognoscere et coram eis agi et iurisdictionem exercere usque ad quantitates in ipso statuto comprehensas, et non ultra; et si contrafiat, non valeat, sed servetur ut supra.

CCXX. *De inquisitione fatienda per potestatem contra rectores seu iusdicentes comitatus.*

Potestas Mediolani et quilibet alius iusdicens in civitate possit et debeat inquirere singulis duobus mensibus sui regiminis contra rectores seu iusdicentes burgorum, locorum vel aliarum universitatum comitatus, districtus, iurisdictionis vel dyocexis Mediolani, si in aliquo fecerint contra ordinamenta facta super iurisdictione rectorum et universitatum ipsorum burgorum et locorum comitatus, districtus, iurisdictionis vel dyocexis Mediolani vel aliquod

predictorum, et quod super predictis habeat purum et merum arbitrium inquirendi, puniendi et condempnandi contrafatientes; et si quis processus factus fuerit coram rectore burgi, loci, cassine vel alterius universitatis ultra predictum modum, ipso iure sit nullus et non valeat, et nichilominus rector burgi condempnetur in libris quinquaginta tertiolorum, et rector loci in libris vigintiquinque tertiol. qualibet vice, et notarius in soldis centum tertiol. et perpetua notetur infamia.

CCXXI. *Quod statuta et ordinamenta comunium de tenendo causas ultra quantitates eis concessas sint cassa.*

Omnia statuta et ordinamenta, conventiones et pacta, que haberent comunia burgorum et locorum vel alterius universitatis inter se vel homines terre sue, de tenendo causas vel exercendo iurisdictiones a predicta quantitate supra, sint ex nunc casse et cassa et nullius momenti, et quod eis non utantur rectores seu iusdicentes nec homines earum universitatum; et si contra factum fuerit, condempnetur quilibet contrafatiens in libris quinquaginta tertiol., et comune burgi in libris centum tertiol., et comune loci in libris vigintiquinque tertiol., et ad dictam penam solvendam compellantur absque alia condempnatione; salvo quod supra dictum est de exactione tallearum et onerum per eos fiendarum, et salvis aliis mayoribus penis.

CCXXII. *De sacramento prestando per rectores comitatus, antequam vadant ad regimina.*

Potestas Mediolani seu vicarius offitii provisionum teneantur et debeant compellere omnes vicarios et

rectores burgorum, plebium et aliarum universitatum comitatus, diocexis, districtus et iurisdictionis Mediolani, antequam vadant ad regimina, iurare ad s. Dei evangelia, quod non tenebunt causas nec teneri permittent in eorum terris ultra quantitates in ordinamentis comunis Mediolani comprehensas; et si sciverint aliquem tenere causas de mayori quantitate, infra tertiam diem accusabunt seu notificabunt ipsi domino potestati Mediolani vel iudici suo; et qui repertus fuerit contrafecisse, condempnetur in libris vigintiquinque tertiol., si fuerit rector burgi vel plebis vel alterius universitatis, et si fuerit rector loci, in libris decem tertiol., et insuper condempnetur omni vice comune burgi in libris centum tertiol., et comune loci in libris vigintiquinque tertiol., et alterius universitatis in libris centum tertiol.; et quilibet possit accusare et notificare, et medietas sit accusatoris seu notificatoris, et alia comunis Mediolani, ad quam penam compellantur et compelli possint predicti et quilibet eorum per quemlibet iusdicentem sine alia condempnatione.

CCXXIII. *De pena rectoris, potestatis sive vicarii torquentis aliquem.*

Nullus rector sive potestas sive vicarius alicuius burgi vel loci vel plebis vel alterius alicuius universitatis, comitatus, districtus, diocexis vel iurisdictionis Mediolani audeat vel presumat torquere vel tormentare aliquem hominem, cuiusvis conditionis existat; et si quis contrafecerit, condempnetur et puniatur in libris quingentis tertiol., medietas cuius condempnationis sit accusatoris, et alia medietas comunis Mediolani; et de hoc credatur sacramento tormen-

tati cum uno teste fidedigno; et super hiis potestas, qui per tempora fuerit, habeat plenum arbitrium procedendi, puniendi et condempnandi, non obstantibus aliquibus statutis.

CCXXIV. *De datio et onere non imponendis super civibus Mediolani vel super terris et possessionibus eorum, vel massariis, collonis vel pensionantibus pretextu dictorum civium.*

Nulla universitas burgi vel loci, plebis vel alicuius universitatis comitatus, districtus, diocexis vel iurisdictionis Mediolani audeat vel presumat ponere aliquem incantum, datium, pedagium seu onus aliquod super civibus Mediolani vel super terris et possessionibus dictorum civium nec eorum bonis nec super eorum massaritiis, collonis vel pensionantibus pretextu bonorum dictorum civium, nec ea occaxione molestare nec agravare nec agravari permittere, nec ratione debiti vel debitorum alicuius de ipsa universitate molestare, inquietare, turbare nec agravare directe vel per indirectum aliquem civitatis Mediolani vel aliquem comitatus, qui non sit de dicta terra, vel eius bona; et si quis contrafecerit in aliquo, puniatur et condempnetur universitas burgi, plebis vel alterius universitatis in libris quingentis tertiol., et quilibet consul in libris decem tertiol., et universitas loci in libris centum tertiol., medietas quarum condempnationum perveniat in comune Mediolani, et alia medietas in accusatorem, et credatur sacramento illius cum uno teste fidedigno; et si contingat aliquod comune pati aliquas expensas vel dampnum aliquod predictorum occaxione, quod aliquis ex massariis,

colonis, inquilinis seu fictabilibus illius civis vel contadini non teneantur ad aliquas predictarum expensarum; et quilibet iusdicens teneatur et debeat ex suo offitio de predictis et quolibet predictorum inquirere et dictas penas exigere, et quemlibet predictorum compellere ad solutionem predictarum penarum fatiendam canevariis comunis Mediolani; salvo quod quilibet qui accusaverit vel denuntiaverit, possit habere medietatem dictarum penarum.

CCXXV. *De eodem.*

Nulla universitas nobilium vel vicinorum alicuius burgi vel loci vel alterius civitatis [A] districtus comunis Mediolani; vel aliquis eorum potestas seu offitialis audeat nec presumat nec possit nec debeat imponere aliquod honus nec datium nec taleas alicui colono vel inquilino seu massario vel fictabili alicuius domini nec heredibus suis, nec molestare nec pignerare aliquem massarium vel inquilinum vel fictabilem pro domino suo, nec penas, nec banna imponere illi massario vel inquilino vel fictabili pro domino suo, nec facere illi massario vel inquilino vel fictabilibus pro domino suo, nec ipsi domino nec alicui civi in ipso loco vel burgo fabulam nec aliquod preceptum vel conventionem, quominus eius terra vel possessio vel domus libere laboretur, afictetur et habitetur, nec aliquod aliud preiuditium ipsius domini, nec exigere aliquid pro ipso domino a massariis, fictabilibus, inquilinis, colonis vel laboratoribus illius, pretextu seu occaxione illius domini; et si contra factum fuerit, condempnetur burgus in

A « communitatis » (In Cod. B. 19).

libris quinquaginta tertiol., et locus in libris vigintiquinque tertiol., et quilibet potestas et offitialis in libris decem tertiol. pro quolibet. Et si aliqua condempnatio de aliquibus potestatibus, consulibus vel offitialibus vel procuratoribus facta fuerit occaxionibus predictis vel aliqua earum, quod illa condempnatio sit et esse debeat tantum ad dampnum et periculum eorum, qui fuerint condempnati predictis occaxionibus vel aliqua earum; et quod de illa vel illis condempnationibus non possit fieri aliqua talea inter homines alicuius universitatis, nec poni in conscilio de ea fatienda. Et si contra factum fuerit, condempnetur quilibet offitialis in libris vigintiquinque tertiol., et nichilominus illa talea sit cassa et irrita, et ipso iure sit nullius momenti et valoris; et dominus potestas et eius iudices possint de predictis et quolibet predictorum inquirere summarie, et sine strepitu iuditii condempnare, et quilibet possit accusare contrafatientem, et medietas dicte condempnationis sit comunis Mediolani, et alia accusatoris; et de predictis et quolibet predictorum credatur et credi debeat sacramento illius, in cuius preiuditium predicta vel aliquod predictorum dicerentur fore facta, cum uno teste idoneo et fidedigno.

CCXXVI. *De iurisdictione vicarii Martexane.*

Vicarius Martexane habeat iurisdictionem usque ad libras quinquaginta tertiolorum.

CCXXVII. *De iurisdictione quamplurium comunium et terrarum comitatus.*

Comune burgi Leuci habeat iurisdictionem in civilibus inter homines terre sue usque ad quantitatem librarum centum tertiol. et non ultra, hoc intellecto,

quod si alicui ex partibus placuerit, teneatur rector istius terre questionem committere alicui iurisperito Mediolani, et quod appellationes que interponerentur, si que interponantur, fiant et interponantur ad iudices appellationum Mediolani seu alterum eorum, et coram eis ventilentur et diffiniantur ut alie.

Ripalte librar. centum tertiol.
Canturii librar. quinquaginta tertiol.
Mandelli librar. quinquaginta tertiol.
Varexii librar. quinquaginta tertiol.
Dervii librar. vigintiquinque tertiol.
Varene librar. vigintiquinque tertiol.
Anglerie librar. vigintiquinque tertiol.
Gallarati librar. vigintiquinque tertiol.
Habiatigrassi librar. vigintiquinque tertiol.
Caravazium librar. quinquecentum tertiol.
Burgi Porlezie libr. centum tertiol.

CCXXVIII. *Quod comunia et universitates non exerceant iurisdictionem in criminalibus in certis casibus.*

Aliquis rector alicuius ex predictis comunibus vel universitatibus predictarum terrarum non possit, audeat nec presumat cognoscere in criminalibus nec diffinire de aliquo crimine, ex quo ingeratur pena sanguinis vel corporalis, nec ubi pena sit arbitratoria in avere vel persona, nec ubi pena excedat quantitatem tassatam in dicto statuto incipiente « Comune burgi Leuci habeat iurisdictionem etc. »; sed ipse rector, cum casus occurrerit, debeat se informare, et prout poterit, veritatem investigare de culpabilibus talium criminum, et ea que reperierit, notifficare et remittere domino potestati Mediolani

vel iudici suo ad malefitia, qui super eis procedat prout debet, secundum formam statutorum comunis Mediolani.

CCXXIX. *Quod statuta et ordinamenta paratichorum, que sunt contra ordinamenta comunis Mediolani, non valeant et teneant, nisi fuerint approbata.*

Statuta et quelibet alie provixiones, reformationes et ordinationes alicuius collegii seu paratici [A] civitatis vel universitatis, comitatus, diocexis vel iurisdictionis Mediolani, vel in quorum possessione seu quasi fuerit comune Mediolani, vel alique ordinationes, que haberent homines alicuius universitatis inter se, non valeant nec teneant, si sunt contra ordinamenta comunis Mediolani [B], et nisi fuerint approbata et approbate per vicarium et offitium provixionum civitatis Mediolani vel alium de mandato domini Mediolani, et in qualibet ratifficatione seu approbatione, que fiat de aliquibus ordinamentis alicuius universitatis, ponatur: « in quantum non sint

A Saec. XIV exeunte viginti tres recensebantur Mediolani artium collegia et societates, qui statis festis diebus convenientes consuetas oblationes deferre tenebantur ex lege aut consuetudine; ea constituebant, ut ex veteri syncrona charta, « spadarii, calegarii, barberii, retaliatores drapi lini, textores drapi lane, » ferrarii, sartores, cimatores, fustaniarii, magistri a manu, » confectores coraminis, patarii, textores drapi lini, becharii, » ligatores ballarum, sellarii, pilizarii, spiziarii, scamnarii, » hospites, corezarii, formagiarii, monetarii », qui omnes propriis statutis etiam tunc usi videntur. Quo anno haec statuta edita sunt, synchrona charta loquitur de « Mafiolo Murigia » abbate paratici spiciariorum Mediolani, Nazario Nano, Galdino de Grossis, Zanono Mora, Marcho de Arnate et Nicholino de Calco spiziariis Mediolani ».

B « Vide statutum de paraticis non habendis » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II. 20).

contra formam ordinamentorûm comunis Mediolani vel aliqua ex eis »; et in quantum sint contra ordinamenta comunis Mediolani vel aliquod ex eis, quod non intelligatur esse ratificatum nec approbatum, nec valeat. Et si in aliquibus ordinamentis alicuius universitatis, confirmatis vel non, contineatur quod ipsa universitas vel rector eiusdem posset vel deberet punire seu condempnare aliquem corporaliter, vel quod aliter condempnaretur vel fieret, quam in statutis comunis Mediolani sit concessum, quod propter hoc non intelligatur esse concessum, quod possit exerceri ultra vel extra ordinamenta comunis Mediolani; nec propter hoc possint nec audeant ipsi vicarii nec rectores nec comunia exercere contra vel ultra ipsa ordinamenta, et nec concessum intelligatur nec valeat, et contrafatientes puniantur, ac si ut privata persona fecisset illud, et non esset concessum; nec possessio seu quasi iurisdictionis vel talis exercitii acquiratur nec acquisita esse intelligatur, nec exercere possit contra predicta nec aliquod predictorum; et approbationes et ratificationes, si que fierent, non durent ultra tres annos.

RUBRICA GENERALIS

de fabricis et aurificibus et circa eorum artem spectantibus.

CCXXX. *Quod in civitate laboretur argentum de duabus ligis.*

Ordinamenta comunis Mediolani facta super operibus auri et argenti seu super arte fabrorum et

aurificum de cetero observentur in civitate et comitatu Mediolani sub penis infrascriptis, videlicet quod de duabus ligis argenti solummodo laboretur, videlicet de liga operis minuti et liga laborerii seu operis grossi; liga autem operis minuti argenti sit de liga et bonitate monete provinorum [A], que liga est videlicet quod una onzia dicti operis sit de denariis pixis quindecim et quarta una argenti fini et de denariis pisiis octo et quartis tribus rami, et opus factum habeat pro remedio imper. tres pro onzia; et liga operis grossi sit valimenti et lige monete ambrosine [B] grossorum Mediolani nunc currentis pro imperial. vigintiquatuor pro quolibet, que liga est quod in unzia dicti laborerii sint argenti fini denarii pixi viginti unus et grani xviii argenti, et denarii pixi duo et grani sex heris, et habeat opus factum pro remedio imper. tres pro onzia. Et quod bonitas smaltorum non possit nec debeat compensari in opere, sed opus totum esse debeat ad ligam ultra smaltos, et de opere seorsum a smaltis debeat fieri asazium, reservata congrua soldatura.

CCXXXI. *De offitio bullatoris et asazatoris operum argenti.*

Bullator et asazator qui est et per tempora erit, teneatur et debeat asazare et aprobare et reprobare et bullare bona et frangere mala opera argenti, sive alba sive deaurata sint, que de cetero fieri contin-

A Provini nummi nomen mutuati sunt a moneta comitum Provinensis oppidi in Campania in Galliis; Pisii vero appellantur a Pisarum civitate, qua item nummi antiquitus cusi sunt. Omnes hae monetae ex optimo argento conflabantur.

B « ambrosinorum » (*Cod.* B. 19).

gerint, et reddere debeat opera illius cuius fuerint; et qui debeat habere pro sua remuneratione mezanum unum pro onzia operis sive grossi sive minuti, et qui debeat dare omni anno schole s. Eloy modios duos furmenti, seu prout erunt in concordia, salvo iure honoris domini Mediolani sustinendi A aprobatorem et bullatorem ipsum, si voluerit, et confirmandi presentem; qui bullator sive asazator debeat restituere argentum asaziorum illis, quorum sunt opera.

CCXXXII. *De operibus argenti consignandis approbatoribus.*

Quilibet magister fabricarie teneatur infra dies quinque utiles, ex quo opus aliquod compleverit, consignare vel consignari facere dicto approbatori dictum opus ad fatiendum approbari; et si quis steterit ultra illud tempus, opus frangatur et condempnetur in soldis decem tertiol., si non erit bonum; et si erit bonum, condempnetur tantum in soldis decem tertiol., et non frangatur opus.

CCXXXIII. *De opere argenti non vendendo, nisi sit bullatum.*

Nullus audeat vendere nec vendi facere opus aliquod argenti, nisi sit bullatum bullatino ipsius approbatoris, sub pena seu penis inferius descriptis, videlicet si opus fuerit bonum et vendatur sine bulla, condempnetur venditor in soldis viginti tertiol. qualibet vice, et si opus venditum non bullatum fuerit de minori bonitate suprascripte lige ab imper. sex infra pro onzia, in quibus imper. sex sint compu-

A « eligendi » *(In Cod. eod.).*

tati omnes remedii, tunc opus frangatur et remaneat magistro, quoniam sepe errare possunt, et ipse restituat pretium, et condempnetur in soldis quinque pro onzia; et si repertum fuerit illud opus venditum sine bulla esse peyoris bonitatis quam imper. sex pro onzia, tunc frangatur et sit amissum; et bullato opere per suprascriptum approbatorem, sive sit de iusta liga, sive non, faber nullam penam patiatur, sive vendiderit illud opus, sive non, et bullator patiatur penam ad voluntatem domini Mediolani.

CCXXXIV. *De bonitate seu caracteris operum auri non laborandis.*

Nullus de cetero laboret aurum minori bonitate auri de caracteris sedicim, sub pena pro quolibet anulo soldorum quinque tertiol., et opus frangatur; et quilibet faber qui habet anulos factos de minori bonitate ut supra, teneatur et debeat ipsos anulos portare consulibus dicte artis ad fatiendum signare eos; et qui contrafecerit, frangantur.

CCXXXV. *Quod consules fabrorum teneantur circhare defectus et stationas fabrorum.*

Consules fabrorum qui erunt per tempora, teneantur per sacramentum et sub pena soldorum viginti tertiol. pro quolibet et qualibet vice singulis mensibus aut sepius bona fide circhare fabros [A] et stazionas et domos, si laborant iusta liga, et si delinquerint aliquid contra aliqua ordinamenta in aliquo casu presentium, et punire repertos culpabiles secundum formam presentis ordinamenti; et possint duo ex eis tantum circhare et offitium exer-

A « fabrices » (*In Cod.* B. 19).

cere die noctuque, et totiens quotiens eis placuerit; et eodem modo quilibet faber cum uno sotio de arte ipsa possit circhare quemlibet consulem in staziona et in domo eius; et quilibet tam consul quam alius debeat prestare patientiam exercendi in staziona et in domo sua et ubi voluerint circhatores, sub pena soldorum viginti tertiol. qualibet vice, et magister teneatur pro quolibet, qui vetaret vel diceret iniuriam ad domum suam; et credatur dicto eorum consulum vel unius refferentis cum uno teste cum sacramento.

CCXXXVI. *De asazio sine pretio fatiendo per asaziatorem.*

Asazator teneatur per sacramentum sine aliquo pretio facere asazium de omni opere reperto per consules et circhatores, quod esset in dubium.

CCXXXVII. *De pena fatientis fraudoloxe opus argenti minoris bonitatis quam debet.*

Si quis de cetero fraudolenter posuerit in aliquo calice, coppa, napo, moiollo, cugialibus vel aliquo opere grosso aliquod argentum minoris bonitatis suprascripte lige grosse, condempnetur in libris decem tertiol. pro quolibet opere et qualibet vice, et illud opus frangatur; et quod antequam opus sit completum, non cadat faber in pena, nisi quod frangatur pro parte mala.

CCXXXVIII. *De eodem.*

Si quis fraudoloxe vendiderit in aliquo opere grosso vel minuto aliquid in occulto, quod non sit aurum vel argentum lige, salvo quam congrua soldatura, frangatur opus, et ultra condempnetur arbitrio consulum, inspecta qualitate facti; et utrum

sit fraudoloxe poxitum vel non, sit in laudem consulum vel mayoris partis eorum; et teneatur venditor restituere pretium emptori, et ultra condempnetur in soldis quinque tertiol. pro qualibet unzia; et super aliquo mazo vel fibia non soldetur aliquod mazum, sub pena soldorum viginti tertiol. qualibet vice, et opus frangatur si bonum non sit, et bullator non bullet, sub pena soldorum quinque tertiol., sive opus sit bonum, sive non.

CCXXXIX. *Quod in opere argenti non ponatur clavum aliquod nisi de argento.*

Qui posuerit clavum aliquod aliud quam de argento in aliquo opere argenti, condempnetur in soldo uno tertiol. pro quolibet clavo, sive sit opus novum sive vetus, et nullum argentum possit adiungi alicui operi veteri, nisi sit bone lige, sub pena alias poxita et sub pena sacramenti.

CCXL. *De aptatura operis veteris argenti.*

Nullus aptet aliquod opus vetus, nisi sit de bona liga, sub pena solidorum quinque tertiolorum et sub pena sacramenti.

CCXLI. *De pena ponentis smaltum argenti in aliquo opere contrafacto.*

Nullus apponat aliquod smaltum argenti in aliqua centura, cuius sprange sint contrafacte vel de here vel de aurichalcho, sub pena perdendi opus, et ultra soldorum quadraginta tertiolorum pro qualibet centura.

CCXLII. *De pena ponentis guarnimentum argenti in texuto, in quo sit riffum.*

Aliquod guarnimentum argenti non apponatur in tessuto, in quo sit riffum, aut qui non sit de pura

sida, sub pena soldorum viginti tertiolorum pro quolibet tessuto, et testum [A] talietur in medio ad transversum.

CCXLIII. *De pena ponentis vitreum, cristallum duplam aut lapidem contrafactum in auro.*

Vitreum, cristallum dupla vel lapis contrafactum non alligetur in auro, sub pena librarum decem tertiolorum qualibet vice; quod non intelligatur in anellis vel operibus argenti deauratis.

CCXLIV. *Quod certa opera araminis et auricalchi possint impune deaurari.*

Deaurari possit impune super opere araminis et auricalchi, videlicet cruces, terribuli, freni, speroni et fornimenta pro equis et alia opera minuta, que pertinent ad auricalchum et aramen, dum tamen illud opus teneatur et vendatur pro tali opere, ut est.

CCXLV. *De pena vendentis vel pignerantis opus araminis vel auricalchi deauratum vel inargentatum pro opere auri vel argenti.*

Si quis opus aliquod araminis vel auricalchi deauratum vel deargentatum vendiderit vel pigneraverit vel nominaverit vel apretiaverit, pro volendo vendere vel pignerare pro opere auri vel argenti, condempnetur in libris ducentum tertiolorum, et cassetur ab arte, nec unquam recipiatur in arte, nec possit uti ea arte.

CCXLVI. *Quod conducens opus novum argenti presentet asazatori ipsa die vel sequenti.*

Si quis conduxerit intra civitatem Mediolani aliquod opus argenti novum pro vendendo, presentet

A « texutum » (*In. Cod.* B. 19).

opus illud asazatori ipsa die vel sequenti, alioquin incidat in penam illius, qui steterit ultra [A] decimam diem ut supra, et asazetur et bulletur, si bonum repertum fuerit, et quod nullus aurifex vel fabrichus debeat illud emere, nisi fuerit approbatum et laudatum et bullatum, sub pena librarum decem tertiol., et opus frangatur si sit malum, et si opus emptum a fabricho non bullatum repertum fuerit malum, ultra formam predictam perdat opus.

CCXLVII. *De opere argenti minore iusta liga hinc retro facto.*

Opus argenti hinc retro factum si reperiatur de cetero fore minoris bonitatis iusta liga, restituatur magistro, qui illud vendiderit, et totum illud dampnum illi, qui habuerit dictum opus, et ad hoc fatiendum compellatur magister per consules dicte schole.

CCXLVIII. *Quod liceat cuilibet fabro emere argentum.*

Quilibet faber possit emere argentum quantum voluerit, sive blanchum sive deauratum sit, pro suo usu et stazione sue, et pro vendendo aliis fabricis pro laborando in Mediolano, et afinare et partire aurum ab argento; et nullus sive faber sive alius debeat vendere argentum blanchum in grana nec in peziis pro portando extra districtum Mediolani, sub pena librarum decem tertiolorum, et ultra perdendi argentum.

CCXLIX. *De eodem.*

Quilibet faber possit acquirere et emere totum illud argentum, quod necesse fuerit pro suo usu

A « infra decimam diem » (*In Cod. eod.*).

tam auratum quam album, quod pertinet pro sua arte, et illud possit affinare et partire et laborare bene et legaliter; salvo quod non possit emere argentum in pezia ultra marchos quinque qualibet ebdomada.

CCL. *De festivitatibus celebrandis per aurifices seu fabros.*

Nullus de arte aurificum seu fabrorum debeat laborare in aliquo infrascriptorum dierum, sub pena soldorum viginti tertiol., nisi coactus esset ad laborandum per aliquem ex dominis Mediolani, vel nisi habuerit licentiam ex aliqua iusta causa a consulibus, videlicet in aliquo festo beate Virginis Marie, nec alicuius apostoli, nec beati Ambrosii, sancti Petri martyris, sancti Eloy et sancte Caterine.

CCLI. *De quantitate solvenda per fabros intrantes in artem fabricalem.*

Quilibet qui artem fabricalem magistralem intrare voluerit, de cetero antequam banchum exponat, teneatur et debeat solvere comunitati dicte schole sancti Eloy libras quinque tertiol. sub pena dupli.

CCLII. *Quod volentes adiscere artem fabricalem nichil solvant pro introytu.*

Quilibet qui voluerit adiscere de arte fabricali, de cetero nichil solvere teneatur pro introytu dicte artis.

CCLIII. *De offitio consulum fabrorum.*

Offitium consulum fabrorum duret per annum unum, et teneantur et debeant consules debito sacramenti per mensem unum ante exitum sui consulatus eligere consules novos, qui debeant exercere offitium suum ut supra, sub pena librarum

vigintiquinque [A] tertiol. pro quolibet consule, qui eligere neglexerit.

CCLIV. *De sacramento consulum fabrorum.*

Quilibet qui electus fuerit consul, teneatur et debeat iurare offitium sui consulatus ad terminum dandum per consules veteres, et qui contrafecerit, condempnetur in soldis viginti tertiol., et nullus possit repudiare offitium consulatus, postquam fuerit electus, sub predicta pena, nisi habuerit iustam excusationem.

CCLV. *In quos pervenire debeant pene facientium contra statuta fabrorum.*

Medietas omnium penarum et eorum, qui perdi debent per formam statutorum suprascriptorum loquentium de aurificibus et fabricis, pervenire debet in comune Mediolani, et reliqua in comunitatem dictè schole sancti Eloy aurificum et fabrorum Mediolani.

CCLVI. *Quod aurum et argentum possit conduci sine datio.*

Quilibet possit portare et portari facere aurum, argentum et bolzonum impune, libere et secure et sine aliquo datio ad civitatem Mediolani, dum tamen postquam ad civitatem Mediolani aplicuerit, infra tertiam diem magistris monetarum consignaverit, et si consignare omixerit, perdat ipso iure illud aurum, argentum et bolzonum; si vero infra predictum terminum consignaverit, teneatur medietatem dicti auri, argenti et bolzoni dimittere et dare magistris monete pro pretio ordinato per comune Mediolani, de alia vero medietate possit exportare et exportari

A « viginti » *(In Cod. eod.)*.

facere in quacumque parte voluerit libere, tute et impune et sine solutione alicuius datii.

CCLVII. *De offitio pensatoris comunis Mediolani monetarum auri.*

Quilibet pensator comunis Mediolani monetarum auri teneatur habere et tenere balanzias [A] bonas et iustas et bene equales, et campiones bonos et iustos, et teneatur qualibet die coequare balanzetas sic quod non pendant plus ab una parte quam ab alia; et hoc sub pena soldorum quadraginta tertiol. qualibet vice, qua inventus fuerit habere balanzetas inequales et campionos iniustos.

Item teneatur pensare cuilibet volenti quamlibet monetam auri cuiuscumque ponderis et sigillare, habendo imper. sex pro quolibet centenario pro ponderando et sigillando, et non ultra; et si contrafecerit, condempnetur in libris quinque tertiol. qualibet vice qua contrafecerit, medietas cuius pene sit accuxatoris et denuntiatoris, et alia medietas sit comunis Mediolani, et adhibeatur fides accuxatori vel denuntiatori cum eius sacramento et uno teste fidedigno.

Item si aliquis iverit ad banchum pensatoris cum aliquibus florenis, ducatis vel ianuynis sigillatis sigillo comunis Mediolani, et in presentia dicti pensatoris disigillaverit aliquos denarios auri sigillatis sigillo dicti comunis pro fatiendo aliquod pagamentum, et si inventus fuerit aliquis denarius falsus vel ruptus vel non iusti ponderis secundum dictum sigillum, quod dictus pensator teneatur ad restitutionem totius

A « balanzetas bonas » *(In Cod. eod.).*

dampni dictorum talium denariorum sic inventorum, et fides adhibeatur cuilibet cum iuramento * suo.

Item quod dictus pensator non possit nec debeat tenere nec habere ad banchum suum deputatum per comune Mediolani nec librum nec pugillarem nec capsam nec scripnum, nec aliquid aliud pro gubernando denarios, nec squedellas pro ponendo denarios intus, nec possit cambiare monetas aliquas auri nec argenti per se nec per aliam submissam personam, nec pagamenta per se nec eius nomine facere alicui persone, ipso existente ad banchum, et pagamentum recipere ab aliqua persona, ipso existente ut supra, sub pena solidorum centum tert. qualibet vice, qua contrafactum fuerit.

Item quod dictus pensator teneatur facere bonos omnes florenos, ducatos et ianuynos, quos pensabit secundum eorum pensum, si dicti floreni, ducati et ianuyni existentes super balanziam aliquantulum devincent campionum, sub pena solidorum decem tertiol. pro quolibet floreno, ducato et ianuyno.

Item si dictus pensator inciderit aliquem florenum pro falso, et ille cui inciderit, dicere voluerit non esse falsum, et probam fieri facere voluerit per magistrum monete, teneatur dictus pensator stare ad sententiam dicti magistri, et ad fatiendam dictam probam dictus pensator et pars adversa teneatur deponere penes magistrum expensas necessarias pro dicta proba fatienda, et pars perdens dictam probam teneatur solvere dictas expensas.

Item quod dictus pensator nec eius offitiales non

* « sacramento suo » *(Ibid.)*.

possit emere nec vendere aliquam pecuniam auri vel argenti ad banchum dicti comunis, sub pena librarum vigintiquinque tertiol. qualibet vice, qua contra factum fuerit [A].

Item quod dictus pensator teneatur desigillare omnes florenos, ducatos et ianuynos sigillatos ad voluntatem cuiuslibet requirentis, et sigillare sine aliqua solutione pecunie, sub pena solidorum viginti tertiolorum qualibet vice, qua contra factum fuerit.

Item quod dictus pensator teneatur et debeat pensare et sigillare cuilibet requirenti semel in die usque ad florenos tres sine aliqua solutione sub pena predicta.

Item quod iudex deputatus offitio turris credenzie teneatur inquirere contra dictum pensatorem et eius sotios et offitiales, et fatientes contra suprascripta statuta vel aliquod eorum, qualibet ebdomada semel vel plus ad eius arbitrium, et eos condempnare secundum formam suprascriptorum statutorum.

CCLVIII. *De monetis asaziandis.*

Potestas vel iudex provixionum vel iudex monete teneatur, cum expediet, eligere sex providos viros mercatores vel alios expertos seu scientes de moneta, qui debeant asaziare monetas currentes, seu que debeant expendi per civitatem et comitatum Mediolani, et eas quaslibet monetas reducere ad ligam monete, que curret seu ordinabitur per comune Mediolani.

CCLIX. *De eodem.*

Moneta argenti Mediolani nullo modo deteriore-

A « librarum quinque » (*In Cod.* B. 19).

tur, nec possit nec debeat deteriorari, et de hoc non possit fieri proposta, consilium, reformatio vel ordinamentum; et si contingeret argentum crescere, quod tunc moneta auri [A] minuatur pretio.

RUBRICA GENERALIS

de extraordinariis libri iurisdictionum.

CCLX. *Quod ducentes victualia et negotiationes non impediantur.*

Quelibet persona, exceptis bannitis malefitii et inimicis comunis Mediolani, tute possit conducere veniendo ad civitatem seu versus civitatem Mediolani blavam et vinum, lignamen et ligna et quelibet alia victualia [B], et carbonem et azarium et ferrum et grassas et fenum et ligna et paleas et calzinam et certas negotiationes, absque eo quod possit nec debeat capi, detineri vel aliter molestari vel impediri

A « argenti » *(In Cod. eod.)*.

B « Vide statutum que intelliguntur victualia de verborum significatione » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II. 20).

Officio victualium praeerant iudices, quorum electionem sic moderatur decretum die XII octobris a. MCCCXCVI conditum, in *Reg. Lit. Duc.* in civ. Med. n. 2, f. 205: « Officiales victualium hoc modo eligantur, videlicet: sex boni, legales et » experti viri, unus de qualibet porta civitatis, inter quos non » sit qui officium victualium exercuerit, nec minor anno» rum XXV. Solvatur eis salarium de denariis condemnationum » ad rationem florenorum quinque in mense; singulis tribus » mensibus mutentur, et eis finitis, non possint nisi post tres » annos eligi. Si quis baratariam commisisse vel aliter deli» quisse repertus fuerit, statim privatus intelligatur, et num» quam possit aliquod officium a communi obtinere. Iuret de » officio suo exercendo, nullam rem accipiendo et inventiones » consignando, etc. »

in persona vel rebus aliquo modo pro aliquo debito publico vel privato vel concessione vel alia de causa, veniendo, morando et redeundo pro predictis, et non sit aliquis iusdicens, qui debeat ipsos impedire aliquo modo; sed cum noverit ipsam personam predictas res vel aliquam earum duxisse vel portasse ad civitatem seu versus civitatem, in continenti, omni mora postpoxita, fatiat ipsam personam relassari sine aliquibus expensis, sub pena iusdicenti de suo salario librarum quinquaginta tertiol., ad quam compelli possit et debeat durante offitio; et ille ad cuius petitionem impeditus fuerit, condempnetur in libris vigintiquinque tertiol., et servitor in libris decem tertiol. Et nichilominus teneatur ille, ad cuius petitionem impeditus fuerit, resarcire et restituere omnia dampna et expensas dampnum passo. Et nullum datum fiat contra predicta vel aliquod predictorum, et si contra factum est vel fiet, non valeat nec teneat; sed hoc statutum sit precixum et firmum, ipsis datis vel dato non obstantibus.

CCLXI. *De iure reddendo non subdito foro domini potestatis Mediolani.*

In omnibus preparatoriis iuditiorum et in omnibus decisoriis, et generaliter in quibuslibet processibus, sive procedatur civiliter sive criminaliter sive ordinarie sive extraordinarie, sive ex offitio sive non, et generaliter quacumque via procedatur, tale ius reddatur· et reddi debeat unicuique, cuiuscumque condictionis et status existat [A], non subdito potestati

A « Vide statutum de satisdatione prestanda per non suppositum » ...... in civilibus et alia statuta ibi annotata » (*Nota in Cod.* S. Q. P. II. 20).

Mediolani, vel qui non tenetur subire forum potestatis Mediolani, quale redderetur suppoxito iurisdictioni potestatis Mediolani, et qui possit compelli subire forum ipsius potestatis coram iudice ipsius non subditi, si ibi esset controversia, lis, contentio vel questio; et si dubium emerserit, qualiter et quale ius reddatur subditis iurisdictioni potestatis Mediolani in aliis civitatibus, locis et foris, credatur et stetur verbo seu dicto duorum consulum strate merchatorum Mediolani vel aliorum duorum bonorum virorum; et si fides non fuerit per predictam formam facta, habeatur pro constanti quod in aliis locis et in aliis civitatibus et foris ius comune reddatur, et si contra predicta vel aliquod predictorum fieret, sit cassum et irritum et nullius valoris et momenti. Et ad predicta observanda et quodlibet eorum teneatur quilibet iusdicens, sub pena librarum quinquecentum tertiol. solvenda, et ultra hoc ad restitutionem omnium dampnorum et interesse in duplum dampnum passo; et predicta et quodlibet predictorum vendicent sibi locum in favorem subditorum potestati Mediolani tantum.

CCLXII. *De hiis qui non obediunt statutis, quod habeantur extorres ab eis.*

In favorem subditorum domini potestatis Mediolani tantum statuitur, quod qui statutis comunis Mediolani non obediunt, ab eis habeantur extorres. Et predicta contenta in statuto incipiente « in omnibus preparatoriis », et in presenti incipiente « in favorem », non vendicent sibi locum, si in contrarium vel aliter specialiter et expresse pactiones, que inite sunt vel fierent per comune Mediolani

cum alio comuni, collegio vel universitate, disponerent.

CCLXIII. *De expedita ratione in certis casibus reddenda mercatoribus et transeuntibus per istas partes.*

Merchatoribus et transeuntibus per istas partes fiat bonum et expeditum ius ut nostratibus tam pro se quam contra se super robariis, captionibus et restitutionibus, quam etiam super contractibus, ultimis voluntatibus et iuditiis.

CCLXIV. *Quod provideatur, si fieri potest, ut fiat navigium fluminis Trexie, ita quod fluat ad civitatem.*

Per vicarium offitii provixionum procuretur et videatur et examinetur, si navigium fluminis Trexie potest fieri a lacu de Lugano ad lacum mayorem, et deinde ad civitatem Mediolani, cum asseratur quod possit fieri cum parvis expensis, et ex hoc magne et longinque contrate possent suas res et negotiationes mittere ad civitatem Mediolani.

CCLXV. *Quod procuretur, ut negotiationes per naves duci possint a Venetiis ad civitatem Mediolani.*

Procuretur per rectores Mediolani toto eorum posse, ut negotiationes possint per naves duci a Venetiis ad civitatem Mediolani et comode et cum minori gravamine et dispendio conducendi.

CCLXVI. *Quod dominus potestas et domini sex fatiant, ut aqua Nironis et alie aque aperte fluant per civitatem.*

Dominus potestas Mediolani et domini sex, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, fatiant cum

effectu, quod aqua fluminis Nironis et omnes alie aque ad hoc aperte defluant per stratas civitatis Mediolani, ita quod strate ipsius civitatis sint lote et nitide.

CCLXVII. *De ordine qualiter procedere debet iudex, qui preerit offitio aquarum.*

Iudex qui preerit offitio aquarum comunis Mediolani, possit ad executionem statutorum, que sunt facta super aquis et iuribus eorum, procedere summarie et de plano sine strepitu et figura iuditii, et omni iuris et statutorum solempnitate omissa, dum tamen in condempnando faciat ius, et non procedat ad condempnationem faciendam, nisi data defensione competenti, et nisi dato sapiente, si petitus fuerit, de cuius consilio condempnet vel absolvat ab expensis petendis [A].

A Minister seu iudex aquarum eligitur in sequenti documento seu decreto Ticini dato, die XIII aprilis MCCCXCVI: « De sufficien- » tia, legalitate et industria prudentis viri Conradini de Ser- » ravalle plenam fiduciam capientes, eundem Conradinum » tenore presentium facimus et creamus officialem aquarum » civitatis et comitatus Mediolani, loco Zanelli de Binascho ab » ipso officio revocati, a die XV instantis mensis aprilis usque » ad beneplacitum nostrum, cum salario, auctoritate, prero- » gativis ipsi Zanello concessis et habitis et perceptis, seu » haberi et percipi licite solitis per eumdem, illisque modo » et forma, quibus exstiterat dicto Zanello concessum; et hoc » non obstantibus decretis dom. Vicario XII provisionum et » sindicis et rationatori comunis Mediolani per Paganum et » Milanum magistros intratarum ordinariarum sub data Medio- » lani XXVIII mensis februarii presentis, nec non capitulo ipsis » litteris involuto faciente mentionem de cassatione provi- » sionis dicti Zanelli et eius officii remissione ad iudicem » stratarum, aquarum et pontium; quibus quidem litteris et » capitulis derogamus et derogatum esse volumus per presentes » in hac parte, habito respectu quod dictum officium est utile » et necessarium, dum exerceatur et fiat per sufficientem et

CCLXVIII. *Quod constitutiones facte contra hereticam pravitatem observentur.*

Statuta et constitutiones facta contra hereticam pravitatem, que observari debent, et de quibus mentio habetur in statuto comunis Mediolani, incipiente: « decernentes ne aliunde consuetudines et ordinamenta etc. », sequuntur per hec verba:

Innocentius episcopus servus servorum Dei: dilectis filiis potestatibus, consciliis et comunitatibus civitatum aliorumque locorum Italie salutem et apostolicam benedictionem. Cum adversus hereticam pravitatem quondam Federicus Romanorum imperator promulgaverit quasdam leges etc.

Datum Assisii, XI kalendas iunii, pontificatus nostri anno undecimo [A].

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestatibus sive rectoribus, consciliis et comunitatibus civitatum aliorumque locorum per Italiam constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Ad extirpanda de medio populi christiani heretice pravitatis zizania etc.

» valentem personam, sicut dictum Corradinum reputamus, et
» quod non posset per dictum iudicem stratarum exerceri,
» secundum quod tangit ipsius officii magnitudo .... Preterea
» decernimus et mandamus, quod condemnationes, quas debite
» riteque faciet secundum dicti officii exigentiam, non possint
» de nullitate redargui, irritari nec aliqualiter impugnari eo
» pretextu, quod ipse Conradinus officium exercuerit cum pre-
» cessore presentis potestatis Mediolani, quodcumque statutum
» dicta causa his contrarium innuere videatur etc. »

(Ex Cod. ms. Fagnani, p. 57, v.º).

A Mitto has litteras exscribere, quippe iam in Bullario Romano editas, cum ipsis Friderici II imp. Constitutionibus in illis insertis (Cf. tom. III, Ed. Rom. MDCCXL).

Datum Assisii XIII kalendas iunii, pontificatus nostri anno undecimo.

M. CCC. LXX. VIII, die ultimo mensis maii.

CCLXIX. *De baylia domini Mediolani.*

Cum princeps bonis moribus pollet et iustis actibus nitet, quod filii qui ex eo nascuntur, eosdem mores sequuntur, firmiter est tenendum, degenerare enim non debet a patre filius, sed a quo recepit naturam, imitetur et mores, iuxta illud:

Sepe solet filius similis esse patri;

igitur considerantes militem generosum et recolende memorie quondam dominum dom. Matheum de Vicecomitibus tempore sui dominii misericordia et virtute floruisse, quas in magnificum et excelsum dominum dom. Iohannem natum ex prefate bone memorie quondam dom. Matheo prelibato, et in alios descendentes ex eodem quond. dom. Matheo, qui virtutes virtutibus aggregando, tronum dominii eorum dilatantes summa iusticia stabilierunt, quam diligentes et iniquitatem abhorrentes uncti sunt oleo letitie pre consortibus suis; sperantesque indubie prefatum dom. dom. Iohannem ceterosque descendentes ex prefato quond. dom. Matheo iure hereditario quodam et quasi naturali de virtutibus ad virtutes ascensuros, eorumque mentes strictius animari ad subditorum commoda et statum pacificum ferventius confovendum; potissime cernentes populum huius mediolanensis civitatis in eorum exaltatione et potentia gloriari, cum sit populi prefati gloria ipsorum dominorum felix et perpetua maiestas,

ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et Domini nostri Iesu Christi, eiusque matris gloriosissime Virginis Marie, et beatissimorum Iohannis Baptiste et Ambrosii confessoris totiusque curie celestis, ac prosperum et felicem statum dominii dicte civitatis omniumque hominum civitatis, iurisdictionis et districtus eiusdem, statuitur quod prefatus magnificus et excelsus dominus dom. Iohannes, filius prefate bone memorie dom. Mathei de Vicecomitibus, et post eius dom. Iohannis decessum, eo modo quilibet alius masculus descendens per lineam masculinam et ex legitimo matrimonio ex prefato q. dom. Matheo de Vicecomitibus sit et sint perpetuo verus et legitimus et naturalis dominus, et veri et legitimi et naturales domini civitatis et totius districtus, diocesis et iurisdictionis Mediolani, et habeat et habeant omnem iurisdictionem omneque merum et mistum imperium, bayliam, potestatem et auctoritatem in terris et personis civitatis et districtus, diocesis et iurisdictionis Mediolani, et maxime puram, liberam, meram et plenariam potestatem statuendi, ordinandi, corrigendi, mutandi, interpretandi, addendi, diminuendi, supplendi, cassandi et revocandi quecumque alia ordinamenta dicti comunis Mediolani facta et de cetero facienda; et totum id quod ipse dom. Iohannes et postea alii prefati eo modo, ut supra, fecerit et fecerint in predictis vel aliquo predictorum et aliis quibuscumque, sit ratum, validum et firmum et executioni mandetur; et hoc non obstante aliqua lege vel quavis alia dispositione edita vel edenda, etiam si talis foret, de qua necessarium esset mentionem facere specialem; cum hac conditione et

intentione, quod prefatus dom. Iohannes ceterique predicti descendentes legitimi et nati ut supra, nec aliquis seu aliqui eorum non possit nec possint unquam nec aliquo tempore in aliquem vel aliquos regem, principem, baronem vel aliam quamcumque personam, commune, corpus, collegium vel universitatem, nec in aliquos reges, principes, barones vel alias quascumque personas, cuiuscumque status et conditionis existant, undecumque velint esse sint, comunia, corpus et collegia vel universitates dictum dominium, merum et mistum imperium, bayliam et iurisdictionem in totum nec pro aliqua parte dare, dimittere, concedere nec transferre, nec minuere vel ledere quovis iure vel titulo, in totum nec pro aliqua parte; salvo quod in potestates, rectores, officiales et alios administratores pro eo et eis domino vel dominis, ut supra, ad tempus officia eis commissa vel committenda exercentes, quibus quidem potestatibus, rectoribus et officialibus et aliis administratoribus possint committere exercitium dictorum officialium meri et misti imperii et iurisdictionis, et aliorum quorumcumque officiorum et exercitationum pro sue libito volontatis, sine lexione tamen sue baylie et prefate iurisdictionis et dominii, et non aliter.

Considerantes quondam bone memorie ascendentes predecessores illustris principis magnifici et excellentissimi domini dom. Iohannis Galeaz Vicecomitis domini Mediolani etc. tempore eorum dominii misericordia et virtute floruisse, qui virtutes virtutibus aggregando, tronum dominii eorum dilatantes, summa iusticia stabilierunt, quam diligentes

et iniquitatis abhorrentes uncti sunt oleo iusticie pre consortibus suis, sperantesque propterea indubie prefatum magnificum dom. dom. Iohannem Galeaz comitem Virtutum etc. ceterosque descendentes ex iure hereditario quodam et quasi naturali etc. *(ut in praecedenti constitutione, mutatis tantum nominibus).*

CCLXX. Dominus vult et mandat, quod omni anno, quarta dominica mensis maii usque in perpetuum, ad honorem et reverentiam beate virginis Marie fiat una oblatio ad capellam sancte Marie de la Misericordia sitam in ecclesia sancte Marie de Carmelo Mediolani, ad quam oblationem vadant potestas Mediolani, vicarius et duodecim provixionum et alii offitiales ellecti, et illi paratichorum Mediolani, eo modo quo facta fuit die dominico, vigesimo tertio presentis mensis; que oblatio fiat absque expensis comunis Mediolani, exceptis expensis cerotecharum, que dantur tubatoribus et servitoribus tempore talium oblationum, et ponatur huiusmodi mandatum in registris et volumine statutorum comunis Mediolani.


Vescontus de Corpello subscripsit.


INDEX CAPITVLORVM

Rubrica generalis de advocatis, sindicis et medicis comunis Mediolani et pauperum.

Rubrica generalis de fabricis et aurificibus et circa eorum artem spectantibus.

Rubrica generalis
de extraordinariis libri iurisdictionum.







Ital 63.20
Statuta iurisdictionum Mediolani sa
Widener Library 006093471
3 2044 082 200 429